1567 21. Marzij



Hosii Vita

D. STANISLAI HOSII S. R. E CARDINALIS MAIORIS. POENITEN. & Episcopi Varmiensis Vita.

AVCTORE
STANISLAO RESCIO
Prothonotario & Referendario Apostolico.




M. Andrea Steckowski

ROMAE,
Impensis Iacobi Tornerij.

Apud Zannettum, & Ruffinellum.
M. D. LXXXVII.

Rmo dno Epo Plocen. Author.



SIXTO V.
PONT. MAX.

STANISLAVS RESCIVS *beatos pedes exosculatur.*

HOSII Cardinalis vitam in lucem hominum prodeuntẽ, tua, Beatiſsime Pater, protectione & patrocinio ornandam, muniendamque putaui: tũ quòd me non ita pridem, ad illius editionem (quæ tua ſemper fuit in Hoſij memoriã beneuolentia) benigne adhortatus es; tùm quòd illius lectionem orbi Chriſtiano vniuerſo, & noſtris præcipue hominibus cuperem reddere commendatiorẽ,

ijs præſertim, qui in Partem tuæ ſolicitudinis vocati ſunt, vt rapaces lupos ab ouili Chriſti (quod tu prudenter, iuſtè, fortiter, & temperatè moderaris) omni ſuo ſtudio, conatuque repellant. Spero etiam fore, vt iſta rerum ab Hoſio geſtarum commemoratio, nõnullam tuæ Bea. adferat voluptatem: quæ in iſtiuſmodi pietatis ſtudijs, in defendendis verbo & opere Eccleſiæ Dei rationibus, inque rerum omnium, quas iſte ſol aſpicit contemptu, ætatem tuam a teneris vſque annis, magna cum laude pietatis contriuiſti: & hoc tempore campum adeptus es maximum, Orbem vniuerſum Chriſto lucrifaciendi. Languent Hæretici. Timent Sciſmatici. Machometanorum feritas repreſſa quoque dicitur. Laus ea tuæ in Deum pietati proculdubio reſeruatur, vt extremam mortiferam plagam, peſtibus iſtis imponas, & Orbi Chriſtiano pacẽ, Chriſto hæreditatem, vrbi voluptatem, nobis omnibus aurea ſæcula repræſentes, tibi vero cæleſtes illas coronas compares, quæ præparatæ ſunt his, qui in moderandis vitæ vocationiſque ſuæ rationibus, nil timuerunt niſi Deum, nil ſpe-

raue-

rauerunt, niſi à Deo. Interim autem vt Apoſtolica tua benedictione, conatus hos, & labores meos proſequi digneris, qua ſumma poſſum animi mei ſubmiſſione, etiam atque etiam peto: & quod hucuſque feci, deinceps etiam Deum rogabo, vt tibi det vitam, quam mereris, & conſeruet animum quem dedit.


STANISLAVS HOSIVS.
CARD. VARMIEN. M.P.

IN · EFFIGIEM · ET VITAM. D. HOSII VARMIEN.

Ad Lectorem.

THOMAE TRETERI.

Talis erat facies HOSII. *Sic ora ferebat*
PRAECO DEI PATRIAS SPLENDOR ET ORBIS AMOR,
Hoc docti clarique viri, Regesque Ducesque
Declarant: illud terra Polona probat.
Tota, Dei studium feruens, ECCLESIA *nouit;*
Cui lingua, exemplo, profuit & calamo.
Singula si cognosse voles, euolue libellum,
Quem docta scripsit RESCIVS *ipse manu.*
Neue legas frustra hæc; imitari lecta studeto.
Sic Auctor meritum, commoda tu referes.

In Obitum eiusdem Carmen annum & diem mortis indicans.

AVgVstI LVX qVInta Labat nonæVe reCVrrVnt
HosIVs oCCVbVIt MVsa saCrata tVVs.

DANIEL. XII.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

ECCL. XXXIX.

Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit Ecclesia.

D. STANISLAI HOSII CARDINALIS VITA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT. I.



NATVS *est Magnus veritatis prædicator*, STANISLAVS HOSIVS, in ea quæ Regni Poloniæ caput est Ciuitate Cracouień. Anno Domini 1504. regente Ecclesiam Dei, Iulio II. Pont. Romano, Imperatore Maximiliano I. Regè Polonię Alexandro. Patrem habuit Vlricum Hosium, matrem verò Annam, de quorum vita & conuersatione rectè dici poterat, quòd erant iusti ambo ante Deum, intendentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, timebantque Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illis verbum malum. Erat autem Vlricus laudatissimo, & omnium sæculorum memoria & prædicatione dignissimo, Regi Sigismundo I. charissimus; tum quòd in omnibus vitæ studijs pietatem coleret; tum quòd illi fidem, industriam, diligentiamque suam, in obeundis & administrandis publicis officijs, & muneribus, in Ciuitate Vilnensi, quæ Magni Ducatus Li-

tuaniæ caput est, quorum illi procurationem commiserat, ita probauit, vt amorem sibi tum Regis, tum reliquorum omnium compararet in eo officio, in quo odium vitare valde difficile videbatur. Regias enim rationes omnes tam abstinenter administrabat, quàm alienas; tam diligenter, quàm suas, tam religiose, quàm publicas; quò factum est vt rem quoque suam familiarem ita auxerit quasi pietatem colere nesciret, & ita vicissim pietatis officia persecutus sit, sicut de patre quoq; suo scriptum reliquit, Magnus ille Theologus, vt rerum domesticarũ curam in omne tempus abiecisse videretur, ita vt nouus quidã Abraham, & secundus Ioseph reputari mereretur, cùm in augenda re sua non auaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quæsiuisse videretur. Ædificauit enim in eadẽ Ciuitate Vilneñ Xenodochiũ recipiẽdis fouẽdisque pauperibus accommodatum, quos omnibus Christianæ pietatis officijs, vitęque præsidijs tanta charitate subleuabat, vt pater pauperum, pes claudorum, cæcorum oculus, pupillorum adiutor, viduarum consolatio, re & veritate probaretur. Aliud quoq; extruxit Monasterium in quo fratres suo Regula S. Patris Dominici Christo, seruientes collocauit, quos præcipuo quodam cultu & studio prosequebatur, eorumque domestica consuetudine familiarissime vtebatur semper. Ecclesiam ipsam, & omne orationis tempus sollicitissima cura, &

pietate tanta frequentabat, nullam, vt publicis muneribus curam, nullam domesticis rationibus operam impendere videretur. Vicissim autem afflictorum iniurias, oppressorum calamitates, viduarum lachrymas, orphanorum angustias, & omnium miserias tanta pietate, benignitate, celeritate subleuabat, vt nec orationibus, nec publicis muneribus distractum occupatumq. crederes, in eoque studio cùm cæteris omnibus antecelleret, adeo vt publicus quidam virtutis & morum, & vitæ etiam paulo politioris in illa ciuitate auctor & magister haberetur; à solo tamen filio, quod sequens indicabit oratio, primas ferre partes prohibebatur, quem etiam post multos demum annos de hoc ipso patre suo ad optimum illum & intelligentem virum Augustinum Rotundum Aduocatum Vilneñ sic scripsisse legimus; Patrem meum scio te vidisse nunquam, sed fama illius obscura tamen apud vos non est. Nam quantã operam nauauerit in ornanda, & quibuscunque modis potuit, augenda & illustranda Ciuitate Vilnensi, & castro Regio; tum in Monasterio & Hospitali exædificando, quas impensas fecerit, non ignoras. Quod opus ab illo cæptum fuit, id per filium eius fratrem meũ Ioannem est absolutum: nec etiam queri possum de Sigismundi. I. Regis liberalitate, qua fuit meũ patrem prosecutus, quam nec filius eius Sigismundus Augustus in se requiri passus est, etc.

CAPVT II.

ANNA quoque mater, quam laudem mulieri forti in ſcripturis attributam cognouerat, eam in omnibus pietatis officijs explere cumulatè cõtendebat. Manum enim ſuã aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperẽ. Cõſiderauit ſemitas domus ſuę, & panẽ ocioſa non comedit, imo vero tantum ipſa quoque Deo placere conabatur, tantum ad ſalutẽ pręſidium, in iuuandis pauperibus, ac in ſacerdotũ ac religioſorum hominum orationibus collocabat, vt nil magis expeteret, quàm filium ſuum Staniſlaum in ſacrum ſacerdotum ordinem cooptatum aſpicere, à quo poſſit in altari (ſicut vetus patrię noſtrę verbũ habet) Sub calicem poni; hoc eſt, eius potiſſimum precibus & ſacrificijs diuinæ miſericordiæ commendari. Quamobrem etiam & calicem & cruces, & reliqua ſacerdotis ornamenta gemmis auroq; diſtincta ad vſum triennalis adhuc filij præparauit, quibus etiam cum & Sacerdos, & Epiſcopus & Cardinalis factus eſſet, in ſacrificio Miſſæ vſum vidimus, ac tantam iſtam pię matronę fidem, rerumque futurarum quandam quaſi præſenſionem admirati ſumus. Atque hæc breuiter de parentibus Hoſij commemorare viſum eſt, propterea quod, vt dicit Eccleſiaſticus: Gloria hominis ex honore patris ipſius, atque

vt

vt etiam lector intelligat, quod probati viri, genus virtutis prosapia est, & sicut hominum genus homines, sic virtutũ genus virtutes sunt. Hæc autem Hosiorum familia ex Marchionatu Badensi videtur initium accepisse.

CAPVT III.

HIs ergo parentibus procreatus Hosius, cum in domestica virtutis, & pietatis exempla incidisset, ab ineunte statim ętate optimus esse cœpit, nõ aliter quam si pietatis studium ex maternis vberibus accepisset. Et quoniam ad docendum, & ad viam veritatis & vnitatis cathedram errantibus ostendendam, natus erat, statim eius quoque rei igniculi à natura dati, eluxerunt. Nam cum adhuc per ętatem gradiendo non valeret, serpendo ad magistrũ liberalium artium properabat, vt quantũ posset pueriles disciplinas primoquoque tempore capesseret, atque se se ad futuram frugem præpararet. In reliquis etiam infantiæ studijs maxima futuræ maturitatis signa, & acerrimi ingenij argumenta apparebant. Nam & arbusculæ quædam ex nobili atque fructifera stirpe venientes, citius fructum facere, quàm crescere consueuerunt, & quanto minor ætas tanto est earũ vbertas gratior. Tres simul linguas, quibus olim in Ecclesia verbum veritatis loqueretur, ex parentum & præceptorum consuetu-

suetudine, & disciplina, eodem tempore eademque opera perdidicit, Latinam Germanicam, & Polonam. Omnes infantum ineptias æque respuebat, parẽtes reuerebatur, præceptores honorabat, maioribus assurgebat, nil contentiose, nil per iracundiam exorabat. Tenui victu, minime preciosa veste, & simili cũ æqualibus cultu vtebatur, diuitias parentum in conspectu, non in vsu habebat, hæredem se esse audiebat, non sentiebat; in ludis puerilibus vincere non nocere cupiebat, victor lætabatur nõ gestiebat; victus patiebatur, nõ irascebatur, delitias & blanditias nunquam appetebat: admonitiones in animum non in aurem tantum recipiebat. Vt primum autem per ætatis beneficiũ ad studium Grammatices accessit, discẽdi proficiendiq; cupiditate, non æquales tantũ suos, verũ etiã parentũ præceptorumq; expectationẽ antecedebat. Neq; enim Ecclesię Dei rationibus expedire videbatur, vt sermonũ elemẽtis tamquã lacte diutius pasceretur, sed, vt elementa, sicut ait Apostolus, exordij sermonũ Dei caperet, quibus olim esset omniũ gentiũ ac nationũ animos nutriturus. Postquã autẽ legendi artificium sine pręceptore exercere poterat, ante omnia ad euoluendas sanctorum patrum vitas, & res ab illis pro fide Christi gestas, cognoscendas studium suum conuertit (huius enim generis libros Germanica lingua conscriptos ad fallendum familiæ suæ otium, non aleas nõ

fritil-

Iuvenis Prosopographia

fritillum, non talos, non tesseram, Hosij nostri pater domi suæ tenebat expositos) idque non cursim & remisse, aut fallendi temporis gratia, quæ res solet habere in iuuenibus maximam repræhensionem, verum animo proficiendi cupidissimo, & ad imitandas sanctorum virtutes valde inflammata voluntate. Memoriter etiam singulorum historias ita complectebatur, vt præclarissima quæque dicta & facta, & inferendis æquanimiter acerbitatibus, admirabilem constantiam, mortisque genera parentibus, & præceptoribus suis, ac etiam vniuersæ familiæ recenseret, ac remissos etiam & negligentes ad studium audiendi inflammaret. Ante omnia vero, obseruare solitus est, ex qua quisque virtute saluatori suo Christo placuisset, idque potissimum & publicis votis ac suspirijs, & priuatis orationibus sibi quoque a Domino contingere contendebat: quo factum est, vt dum meliores quotidie imitatur, ipse quoque singularibus exemplis ad imitandum abundare mereretur. Historiã quoque Titi Liuij, Germanica lingua scriptam, cũ tantis, & rerum & sententiarum ponderibus abundare perspiceret, & authorem Latino sermone scripsisse per ætatis immaturitatem ignoraret, in Latinam linguam transferre, cæterisq; populis & nationibus tam præclarum thesaurum impertiendum esse, proponebat. Erat in templo assiduus, orationum pensum & liben-

ter & studiose quotidie persoluebat. Et cùm cæteris in rebus ac in tota familia postremus haberi, minimusque reputari cuperet, in eleemosynis pauperibus erogandis inter omnes fratres, & domesticos & vernas principatũ obtinere contendebat. Et quidquid à parentibus assignatum extitisset, id manibus ipse suis in egenos partiri, & vota benedictionesque singulorum colligere cupiebat, in quibus summum vitæ actionumq; suarum præsidium, statuebat; ita vt vrgentium prementiumque turba, & importunitate, pene quandoque obrueretur, ac ad parentum pedes iterum & tertio proiectus, tanquam ipse indigeret causam indigentis loqueretur, nec finem fecit exigendi, quàm singulis plene satisfactum cognouisset. Siue lectioni siue orationi vacabat, dimissis occupationibus ad ferendas pauperi vociferanti suppetias accurebat. Ieiuniorum dies magno studio ac diligentia cauit, ne vel cibo, lege vel consuetudine prohibito, vel intempestiuo tempore sumpto violaret, vt impetus adolescentiæ abstinentiæ beneficio frangeret, & asellum carnis suæ, cibum potius quam lasciuiam cogitare compelleret: præcipue vero diẽ, quã feriam sextã vocamus, in qua Dominicę passionis memoria peragitur, in summa cibi potusq; abstinentia transigendũ putabat: & nihilominus Quadragesimę tempore abstinentiæ rigorem augebat, ac feria secunda & quarta & sexta ita parce cibo ac

potu vtebatur, vt extremam tantum partem deficientis ſpiritus conſeruare voluiſſe videretur, nec vllis vel parentum vel nutricum precibus cōcedere conſueuerat, vt aliquid de ſeueritate ieiunij relaxaret, adeo, vt pater coactus aliquādo fuerit, ab hoc tam accurato ieiunandi ſtudio, interpoſita confeſſoris auctoritate filium auertere, ac pœnitentiæ etiam loco præcipere, vt paulo liberalius alimentis neceſſarijs vteretur, ne quod vitium ſtomachus in poſterum traheret, cui medendo & rem & tempus, & omnes Medicorum artes & operas impendere, perdereque cogeretur, quod tamen ægrè quandoque impetrabat.

CAPVT IIII.

SED & hoc magnum illum puerulum ſpiritus Sancti gratia, quæ ſibi in eo domiciliū & Eccleſiæ Dei prę ſidium præparabat, docuerat, quod corrumpunt bonos mores colloquia praua; quodque ſicut libidines adulterorum ſodalitia, ſicut ſæuitiam homicidarum contubernia, ſicut auaritiam ſordidorum conſuetudo, ita viciſſim piorum hominum conuerſatio, pietatem & cæterarum virtutum amorem ac deſiderium in animis recte inſtitutis excitaret, & quod etiam Eccleſiaſticus præcipit, Cū viro ſancto aſſiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Domini. Quamobrem cum ſciret ſe non poſſe inter exempla deficere,

opti-

optimis ſe ſe ſtatim initio cœpit adiungere, ex quorum conſuetudine melior indies, atq; perfectior euadebat; illius quoque memor, quod qui in ſole ambulat etiamſi ob aliam cauſam ambulet, fieri natura tamẽ vt coloretur, & qui in taberna vnguentarij hæſerit, odorem loci velnolens aſportat. Erat igitur in Eccleſia & & in Monaſterio aſſiduus. Religioſos S. Dominici, tamquam Angelos Dei vnicè colebat, & in intimam eorum familiaritatem immerſus, vitæ inſtituta, & eius regulæ obſeruationes curioſius inueſtigabat, quorum Angelica conuerſatione, tantum fuit ad amorem vitæ ſolitariæ inflammatus, vt ipſe quoque ſæculo renunciare, ſeque ad illius regulæ ſocietatem adiungere voluiſſe videretur: nec obſcure vim iſtius deſiderij præſeferebat. Ipſi quoque religioſi viri cũ Hoſium in animo prudentiam, in lingua ſilentium, in vultu pudorem, in moribus ferre ſacerdotium, & magnam olim ad religionis amplitudinem acceſſionem futuram ex illius ſocietate animaduerterent, ſingulari voluntatis ſuę inclinatione in Hoſium propendebant: & profecto vtriuſque partis deſiderium conſentientes exitus accepiſſet, niſi quod ſicut ait ſcriptura, non erat in homine via eius. Ille volebat latere, ſed Dominus volebat ſuper cãdelabrum ponere. Ille ſe humiliabat, ſed Dominus in oculis omnium gentium ac nationum exaltandum reſeruabat. Ille mundum fugere, ſed Dominus cogitauit

tauit per os eius mala mundi corripere. Quamobrem etiam Hosij pater suam voluntatem diuinæ voluntati adiungens, cum ipse quoque iudicaret minime hoc magno & excelso animo conuenire, mundi fugam persequi, & adipiscendæ virtutis gratia adiutrice, sicut ille ait, vti solitudine (cum nec in trãquillo mari nauigationis peritus, nec in summa quiete & ocio miles expeditus probari cõsueuerit) cœpit ipse quoque filium charissimum ab illa cogitatione de ingressu religionis suscepta, modis omnibus auertere, idque vnum omni cura prouidere, sicut olim D. Gregorij Nazianzeni parẽtes prouidisse memorantur ne vel inuito sibi & reluctanti religionis habitũ filius assumeret: conatusq. ad extremũ, est homo pietatis & religionis studiosissimus, auersionem animi sui, deserendique Monasterij periculum religionis superioribus denunciare, si filio suo religionis habitum imponerent: quod certè fecisse non impetu voluntatis aut cupiditate victus existimandus est, sed quòd, id quod deinceps euenit, in luce hominum collocandũ esse filium suũ, in spiritu cui seruiebat in timore, præuidebat. Visus autem est Hosius per nouem continuos annos vnius præceptoris opera, maioresque in litteris progressus, vel quam ipse præceptor fecerat, vel ætatis imbecillitas fere & sustinere posse videbatur, sponteque sua ad grauiora studia contendebat, quæ captum magistri homi-

nis non omnium eruditissimi, excedebant qui etiam parentibus denunciauit vt alios præceptores ingenio pueri, & proficiēdi cupiditati cōsentaneos inquirerent. Iam enim hoc quoque Hosius intelligere cœperat, quàm esset periculosum ocium, & quam sit omnibus quod aiūt, neruis fugienda ignauia; quoque nullum esset frenū ad frangendos adolescentiæ impetus, & auertēda carnis vitia remediū efficacius, perpetua & honesta occupatione, vt ne vmquā vt ait Hieronymus: Diabolus inueniat ociosos. Numquam igitur libros de manu, oculos a libro lectioneque demittebat, etiam dum cibum sumeret, altera manu alimenta capiebat, altera librum oculis offerebat, ita vt ex ea quoq; contentione, sicut ante ex ieiunij studio, nequid incommodi filio crearetur, pater amantissimus dubitare cogeretur. Ac sicut olim vestes Origenis, ne ad Martyrium curreret, mater eius abscondebat; sic Hosij quoque nostri pater libros subtrahebat, ne nimis assiduo studio filius vitam suam in discrimen adduceret. Cæterum ille nec de contentione quicquam remittebat, & in alios atque alios libros, nouos subinde sumptus impensasq; faciebat; non vt eos faceret cœnaculorum ornamenta, sed vt ad manum haberet studiorum instrumenta: ita vt pater admiraretur cum & cibi & potus & somni, & temporis magna esset in filio parsimonia, in conquirenda tamen atque coemen-

menda librorum ſupellectile profuſior videretur. Accidit autem vt pater non paucorum millium ſumptus, & in Eccleſiam & Monaſterium, & in Hoſpitale S. Spiritus extruendum factos, & iſtas quoque in libros immoderatas filij impenſas cōmemoraret. Cui Hoſius noſter, modeſtiſſima, vt par erat, oratione vſus reſpondit; Si pietatis ſuæ meritum nollet apud Deum amittere, ne ſumptus ad honorem Dei factos cum dolore memoraret: habere iſtam commemorationem exprobationis, & abiecti pænitentiſque animi ſignificationem. Longe plures adhuc opes in theſauris Dei repoſitas, aſſeruari, vnde poſſit impenſas factas copioſe refundere. Quo filij reſpōſo pius pater delectatus, tantum nō exoſculatus eſt filij ſui pectus, ſicut olim Origenis dormientis pater eius oſculatus eſſe perhibetur, tamquam Spiritus Sancti domicilium.

CAPVT V.

MISSVS eſt poſtea Vilna Cracouiam vt in Academia celeberrima (quæ ſemper in patria noſtra habita eſt altrix doctiſſimorū virorum, & quaſi quodā optimarum artiū domicilium) pijs & eruditiſſimis præceptoribus vteretur, ac ſitim illam proficiendi cumulate ſatiaret. Agebat interim annū ætatis ſuæ duodecimum, cùm Martinus Lutherus ignobiliſſimus

Academia Cracouiensis

Lutheri Proſopographia

mus Apoſtata, Chriſtique perduellis, buſtum illud legum ac religionum, omnium ira & odio, peſſimis conſultoribus audaciam miniſtrã te, eam fidem & doctrinam cœpit, oppugnare, quam vna, Sancta, Catholica Apoſtolica Romana profitetur Eccleſia, ac aliam viciſſim nouam, Apoſtolis & Apoſtolicis viris, maioribus, & patribus noſtris incognitam, quam auctore & præceptore ſuo Sathana, cum quo non vnũ ſalis modium ſe comediſſe gloriatur, ſub ſcamno erutã, vel ex aliqua tenebricoſa popina extractam, pro puro puto verbo Dei venditabat, cœpit in vulgus ſpargere, ac vniuerſam vetuſtatem, patres, concilia, pontifices, vniuerſitatem, conſenſionẽ, valde cæco impetu erroris & impietatis cõdemnare. Cuius rei fama, cùm ex vicina Germania in patriã quoque noſtram initio peruaſiſſet, omniũ pariter calculis & ſententijs, impudentiſſimi hominis audacia dãnabatur, nec quidquam aures hominum minus ferre poterãt, quam vt vna, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Romana, fides & religio, vnius Apoſtate, heri, quod aiunt, & nudius tertius nati ſomnijs, & incredibili deliratione atq. ſtultitia labefactaretur, & cõuelleretur. Atque vtinam ne nunc quidem eiuſmodi blaſphemijs aures hominum aſueuiſſent. Sed Hoſius præcipue cũ ad viã veritatis errãtibus oſtendẽdam natus eſſet, conſeruandæ religionis ſtudio ac diuini nominis zelo maiori, quam pro ætatis tyrocinio

nio inflammatus, in illis nascentis mali quasi crepundijs, arma quæ poterat in noua Lutheri dogmata cœpit expedire: cõscriptisque carminibus, impurissimæ doctrinæ fœditatem, & Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ veritatem, nudatis fraudibus ob oculos hominum ponere, & ex intimo fallentium artificio depromptas artes, vt ætas adhuc tenera & carminis leges ferre poterant, aggressus est magno prorsus & inuicto animo omnibus ostendere: ac si quos pestilẽtes eius generis libros, qui per Lutheranæ factionis administros, ad perniciem hominum comparandam spargebantur, conquirere & habere poterat, omnes illico Vulcano corrigendos offerebat. Quo tempore illud quoque memoria dignum accidit, quod cum in eadem Academia bonis litteris operam daret, Fabianus Cema, iuuenis nobili loco & familia in Prussia natus, & Hosio nostro domestica familiaritate coniunctissimus, nisi quod non æquè vt ille, à rebus nouis abhorrebat, & blaphemos Lutheranæ factionis libellos, Germanica præsertim lingua scriptos, non grauatim lectitabat, in acutã aliquando febrim incidit. Cuius vicem cùm Hosius doleret, officia consolantium & libenter & studiose præstabat, ac sæpe ad lectulum decumbentis assidebat. Quodam ergo die, sub capite iacentis quendam libellum aspicit, quem cum in manus accepisset, & hæreticum esse cognouisset; Hæc est, inquit, ista

ista febris, quæ te adeo grauiter excruciat. Tu malũ hoc ipse tibi sciens & volens accersis, dũ istas pestes non solũ in animũ, sed & in lectulũ tuum recipis. Quamobrem si febrim à corpore tuo cupis propulsatam, prius ab animo tuo blasphemiarum studium, & omnem hæreticorum librorum colluuiem à tua consuetudine quam citissimè remoue, nec dubites quin te statim febris acerbitas deferat, & corporis sanitas remota peste consequatur; ac ita libellum flammis vltricibus obiecit. Postridie vero cum ad visitandum amicum reuersus esset, à febri relictum illo ipso tempore inuenit, quo libellum ignibus exurendum tradiderat: & magnam est vterque ex ea re consolationem assecutus, alterum illum Machariun Ægyptium adolescentem plane παιδαρίω γέροντα diceres.

Capvt, VI.

Qvamvis autem in illa ipsa ciuitate Craconien. natus esset Hosius, nõ plures tamen in ea quàm duas vias nouerat; vnam, quæ ex domo paterna ducebat ad Ecclesiam, alteram quæ ducebat ad Academiam: quam sibi quoque laudem & Basilio suo Gregorius Nazianzenus tribuit, cum à Platone rẽ eã bonæ indolis, & futuræ frugis specimen habere didicisset. Et quoniam erat facie valde liberali, quę puri-

puritatem in animo reclusam, in vultu, in fron te, in oculis, repræsentabat, & iam vestiri cœperat rosea lanugine vultus, cùm intemperantiæ periculum pius adolescens formidaret, omni adhibita cautione prouidere conatus est, ne voluptates, quarum tutissima est quies, in infirmo & iuuenili corpore ad luxuriam excitaret. Quamobrem, iuxta Doctoris illius sanctissimi consilium; non solum alienarum, verum etiam domesticarum fœminarum consuetudinem fugiebat: & cum esset in plateas Ciuitatis procedendũ, illud Ecclesiastici consiliũ obseruabat; Noli circũspicere in vicis Ciuitatis, ne oberraueris in plateis illius, auerte faciem tuã à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescet, faciemque suam togatæ vestis, qua ab ineunte ætate vtebatur, semper manica operiebat, ne videret mulierem ad concupiscendũ eam, vel ab aliqua videretur & caperetur. Ipsis quoq; Bacchanalium diebus cùm amici & cognati, pro veteri patrię cõsuetudine, paulo liberalius coenitarẽt, in cubiculo reclusus D. Ioannis Chrysostomi Homiliam de comparatione Regis & Monachi ex Gręca Latinam faciebat, à quo studio velut ab intẽpestiua occupatione, cùm à sua sorore cęterisque coetaneis abreptus ad conuiuium & ad extremum delitiarũ comitem saltationem traheretur, in medio cæ-

naculo è conspectu conuiuarum fere fugiens euolauit, ac ad intermissam scriptionem se recepit, nec vnquam deinceps in omni vita sua, ad hoc lusionis & recreationis genus accessit. Habebat etiam in vsu ad Ecclesiã S. Stanislai in Skalka, in qua S. ille Christi Martyr & Episcopus Stanislaus pro fide & veritate sanguinẽ suum effuderat, singulis vt vocant ferijs sextis accedere, quam consuetudinem constantissimè seruabat, nec aut morbo, aut aeris intemperie, aut viarum impedimentis, aut cæteris occupationibus à proposita sententia vnquam reuocabatur: cumque aliquando febri ac dysenteria simul laboraret, & à suis prohiberetur, ne ad Skalkã accederet, quod ex eo motu non vulgare periculum attritæ valetudini posset accersiri; solebat, ex suo præceptore cæterisque domesticis secretius percontari, nunquid recta in cælestem patriam euolaret, si in illo itinere moreretur: qui cùm adolescentis animum ad obeunda pietatis officia magis etiam accenderent, & sui & periculi oblitus, ad S. Martyris & patroni sui memoriam feruentissimo animo in summo suo languore accedebat: vbi cũ cæteras virtutes, & dona gratiarum, tum præcipue continentiæ laudem à Domino cum lacrymis flagitabat. Sic ille pietatem studijs adiungebat, studia pietate exornabat. Et quamuis doctrina propter pietatis cultum non egeret, ita tamen doctrinas omnes persequutus est, ac

ſine veſtigium quidem adhuc in ſtudijs pieta-
tis poſuiſſet. In litteris humanioribus, Græcis
pariter ac Latinis & in extrema Philoſophia,
breuiſſimo tempore, vſq; ad multorum admira
tionem profecit, in Ariſtotele præſertim, quem
ſua lingua loquentem legebat, ac lõge mẹlius,
quàm Latinam eius verſionem intellexiſſe, ac
etiam in Cicerone, quem maximo cum fructu
octies à capite ad calcem legiſſe poſtremis iſtis
vitæ ſuæ diebus referebat: quo videlicet ſicut
de Damaſceno legimus, limpidiorem creatu-
rarum notitiam tenendo, & earum opificem
clarius intelligeret, & ob miraculum maioris
faceret & amaret, ad hunc enim ille quoque fi-
nem, curſum actionum & ſtudiorum ſuorum
referebat. Tantam autem pietatis doctrinęque
famam apud omnes collegerat, vt cæteri coeta
nei, & ex ijs multi qui ætate præcedebant, Ho-
ſij adoleſcentiam imitandam ſibi proponerent.
Ac ſicut Athenis olim ſodalitiũ illud nõ igno-
bile, præceptorem & ducem, Magnum illum
Baſilium adhuc adoleſcentem & illius curſum
& mores; ſic Hoſium quoq; noſtrũ Cracouiæ
cæteri ſequebantur; adeo vt in eius præſentia
non ſolum à factis, verum etiam à dictis intem
perantioribus abſtinerent; ac ipſi quandoque
præceptores, cum paulo ad explicandum diffi-
cilior quæſtio incidiſſet, Hoſium cenſorem &
arbitrum opinionum ſuarum adhibere non ve-
recundarentur. Licet enim in diſcipulorum ad-

huc ordine censeretur, profectu tamen in litteris, ingenio, iudicio, memoria, in præceptorum numerum erat referendus. Quamuis autē admirabili quadam ingenij celeritate abundaret, nec vllo labore aut contentione opus habere videretur; vicissim tamen contentionē tantam adhibebat, vt etiamsi tardissimo esset ingenio omnia tamen assequi posse putaretur, ille vero proficiendi cupidissimus sic vtrunque coniuxerat, vt non satis liqueret, vtro nomine magis venire in omnium deberet admirationem.

CAPVT VII.

VIDIT hoc Petrus Thomicki, Episcopus Cracouiensis & Regni Poloniæ Vicecancellarius, vir animi excelsi, acerrimi iudicij & æquitatis amantissimus, quòd in Hosio celerior esset virtutis, quàm ætatis cursus, quodque pietas illa, & eruditio non solum patriæ nostræ, verum etiam toti Reipub. Christianæ nascebatur. Quamobrem author Hosio fuit, vt in Italiam profectus, cœptum cursum studiorum prosequeretur, & interiores ac reconditas disciplinas, quarum siti laborare videbatur, perdisceret. Hosius itaque Patauium profectus in præstantem illum virum, qui tunc in Italia principatum in docendo assecutus existimabatur, Lazarum Bonamicum incidit, in eiusque se cōsuetudinem penitus immersit, vt ex ea quotidie

tidie doctior euaderet, nec vllis ibi quoque blanditijs aut illecebris captus est, sed quam semel ingressus est pietatis viam, sine vlla contentionis remissione persecutus, seipso maior quottidie euadebat. Duas enim tantum Patauij quoque vias nouerat, ad Ecclesiam vnam, ad Academiam alteram: reliquas omnes quæ ad festa, spectacula, conuentus, celebritates, ludos, epulas, ad forum, ad otium ducebant, volentibus reliquebat. Obseruabat Hosius Bonamicum, & à Bonamico vicissim impensius amabatur, cũ propter exquisitam curam proficiendi, tum propter innocentis vitæ castimoniam, quod in Epistola qua deinde munus Episcopale Hosio gratulatus est, abunde testatus est. Magna illi quoque familiaritas & consuetudo, cum Reginaldo Polo, adolescente graui, senili iudicio ad omnem laudem & apud suos illustri loco nato intercessit, qui postea in sacrum S. R. E. Cardinalium ordinem cooptatus, patriæ suæ, & splendoris plurimùm, & vtilitatis attulit. Par erat in vtroque studium pietatis, par doctrinæ, rei omnium inuidiosissimæ spes ducebat; aberat tamen ab vtroque inuidia, sola æmulatione flagrabant, non vter eorum primas ferret, sed vter alteri primas cederet. Athenas rediuiuas, & alterum Basilium & alterum Gregorium Nazianzenum diceres. Secessit postea Bononiam Bonamicus, quem Hosius fidelissimus & intimus discipulus secutus,

cursu studiorum feliciter absoluto, Doctoratus lauream maxima cum laude, & approbatione intelligẽtissimorum virorum, inter quos tum quoque celebris erat Romulus Amaseus, adeptus est: præsente & suis quoque calculis approbante Hugone Boncompagnio Doctore Bononiensi, qui nuper in Petri Cathedra sedens, Ecclesię Dei rationes feliciter administrauit & Gregorij xiij. nomen obtinuit, & Alexandro Farnesio, Christophoro Madrucio, Othone Truchses Augustano, qui postea S. R. E. Cardinales fuerunt, viri sempiterna memoria dignissimi, & Octauio Parmensi Duce Farnesij fratre germano: quos hoc loco memorandos putaui, vt nostri homines videant quam præstantium virorum semper fuerit, ac nunc etiam sit, altrix Bononia, & eo potius, quæ domus est semper habita doctrinæ, quàm ad illas Christi perduellium hæreticorum scholas (vbi nihil aliud quam edunt vt vomant, vomunt vt edãt, & cum bene poti fuerint, Ecclesiam Dei, Pontificem, Episcopos, & vniuersum ordinem Ecclesiasticum, turpissimis conuicijs & omniũ maledictorum notis proscindunt) Goltpergã, Vitembergam, Lipsiam, Francofortum, Geneuã, Ienam, Tigurim, Basileam, filios & necessarios suus in bonis litteris erudiendos mittant. Bononia in patriam rediturus Basileam deflectere, ac Erasmum Roterodamum (qui tũ in Germania docti viri nomen adeptus existimaba-

mabatur) videre, eoq; etiam familiariter vti cupiebat. Sicut olim Icheriũ Romanæ vrbis Oratorem, Augustinus, quem tamen de facie non nouerat, sed ex doctrinæ fama, quæ illi clara erat, amauerat ac videre cupierat, ac profectus etiam fuisset, nisi pecuniam, quam in sumptum itineris parauerat, pridie eius diei quo discessurus erat Patauio, prorsus omnem amisisset. Voluit fortasse prouidere Dominus, qui serui sui vias omnes dirigebat, & in Ecclesiæ suę columnam erigere proponebat, ne ex Erasmi domestica consuetudine, & ex illo pleno futilitatis ac leuitatis ingenio, mordacis linguæ labem traheret, aut cæteris istiusmodi maculis mentis suæ puritatem inquinaret, aut aliquod vitę periculum in medijs hæreticorum furoribus, qui in Germania Luthero Christi perduelle clasſicum canente, in sacra omnia laxatis totius crudelitatis & impudentię habenis bacchabantur, incurreret.

CAPVT VIII.

CRACOVIAM itaque ex Italia reuersus ab Episcopo Tomicio, in familiaritatem recipitur. Quo mortuo & eius successore Choienskij, qui & ipse Hosiũ habebat charissimũ, Regina Poloniæ Bona Sforta cum Hosij ingenio opus haberet, in suam familiaritatem regalibus adiunctis promissionibus aduocabat.

 Idem

Idem etiam plerique alij Regni Poloniæ Episcopi faciebant. Cæterum Hosius cum Reginæ diuitijs opus non haberet, quietem & ocium litterarium & Academicum puluerem, in quo vir bonus discitur, Regum opibus anteponendum existimabat, ac priuatæ potius vitæ rationes, quàm publica munera & officia, sibi esse persequenda proponebat: ac perfecisset etiam, nisi Sigismundus I. Rex authoritatem suam interposuisset, qui per Samuelem Machieyouski Episcopum Cracouieñ Regni Polo: Vicecancellarium, summi consilij, maximi animi, elegãtem in dicendo, & in existimando admodum prudentẽ, ad operã in regia sua Cancellaria nauãdã, partim precibus, partim imperio interposito coegisset. Vilnã deinde profectus Hosius ab octogenario patre mirabili & animi & vultus hilaritate excipitur. Placuit pio patri pietas filij, placuit rerum diuinarum continens, & minime interruptum studium, assidua lectio, feruens oratio, cura pauperum, in parentes obsequium, & quod in summa laude ponendum est, humilitatis possessio, quod nunquam de se magnifice sentiret, sed seruum se in vtilem profiteretur. Accidit etiam (neque enim & hoc prætereundum puto) cum ad mensam accumberet, vt famuli alijs rebus occupati mensæ ministerium desererẽt, & Hosius à mẽsa se se proripiens ministrorum munera obire, & ea quæ deerant, tum parentibus suis, tum alijs hospitibus

bus & conuiuis, debito cum honore ſuppeditare pergeret. Quo facto grãdæuus ſenex permotus, lachrymãtibus oculis, in illius caput, ſicut olim Iacob, manu impoſita, filio ſupplici benedixit dicens: Exaltabit Dominus humilitatẽ tuam, multiplicabit in te gratiam ſuam. Eris longæuus ſuper terram, & eris benedictus. Filio vero reſpondente, Amen, ad menſam iterum accerſitis miniſtris redierunt.

Capvt IX.

AD Aulam Regiam reuerſus ſcribendis litteris, decretis, legationibus, inſtructionibus, expeditionibus, ſedulam & fidelem & neceſſariam operam, magna cum ſua laude, Regi Reipublicæq; nauabat & Pruthenicis negocijs pręcipue audiẽdis, referẽdis, & expediendis, erat occupatus, nec vlli labori, tempori, vigilijs pepercit, ſed & cibum ſumens, & remotis menſis, vel legebat ſtatim aliquid, vel ſcribebat vel dictabat amanuẽſi ſuo, vel legentem audiebat. Verumtamen cum hoc vnũ ante omnia laboraret, vt magis in vitæ, quam in Reip. moderatione proficeret, in medijs occupationibus in tanta concurſatione negocioſiſſimorum hominum, in media turba & clamore aulico, fecit tamen ille ſibi ſolitudinem, ac toto nihilominus animo, in ſacrarum litterarum lectione verſabatur, matutino præſertim tẽpore, quod huic

vni occupationi destinauerat, nec vnquam se passus est, vel foro vel ambitione à suscepto cõsilio auocari. Quo factum est, vt Hosio cresceret grande nomen, non tamen re grandius. Nã licet adhuc esset in laicorum ordine, ipsi tamen sacerdotes eum sibi imitandum proponebant, cum viderent nil esse aliud Hosio viuere, quam Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere, cuius in se & in vniuersum genus humanũ beneficia semper sibi ostendebat.

CAPVT X.

OFferebantur illi Ecclesiastica beneficia; non modo non ambienti (virtute enim ambiendum esse didicerat non fauitoribus) verùm sæpè etiam repugnanti. Cũ autem Canonicatum Cracouiensem suscepisset, vt vocationi diuinæ satisfaceret, nulla mora interposita sacris ordinibus initiatus, primam vt vocant suã Missam, sine vlla frequẽtia & celebritate, quæ ferè solet maxima in his nostris prouincijs adhiberi, in Ecclesia S.Stanislai in Skalka, nõ solum necessarijs suis verũetiã domesticis inscijs, vno tãtum Presbytero comitatus absoluit, & tẽpus quod consecutum est à salutationibus amicorum, & sæcularibus negocijs vacuum transmisit, sibi & Deo viuens, mentem suam & cogitationem, in examinandis vocationis suæ muneribus, & in altitudine mysterij contemplanda defixam habens; vnde magna est ad pristinum

Zelum accessio consecuta. Cœpit enim tamquam potestatem habens, longe acrius, maiorique vehementia in Hæreticorum errores inuehi; in obstinatos & rebelles, cum ipsum Regē tū ipsos quoq; Episcopos, Regiæ potentiæ administros, incendere: legitimæ potestatis au toritatem ad commune quasi incendium extin guendum implorare: muneris quemque sui, ma gna cum libertate admonere: Lutheri foedissimi hominis audaciam & impudentiam, cū dæmone consuetudinem, fastu & superbia excæcatum animum, sitim Christiani sanguinis siue ex occasione, siue ex veritate cōtinēter memorare, & omnia temulenti Saxonis somnia, quæ pro puro puto verbo Dei venditabat, in odium hominum ac detestationem adducere; & quorum id munus erat proprium, vt omnes Hæreticorum libellos peste venenisque respersos, ex omnibus Regni finibus exterminandos susciperent, verbis valde bonis adhortari. Vincentij quoq; Lirineñ aureum libellum, quem de Veritate Catholicæ fidei conscripsit recudendum curauit, & omnibus tamquam prę sentissimum antidotū, notis pariter & ignotis offerebat; ita vt auctor ipse eius libelli existimaretur, non solum à nostris hominibus, sed à Smidelino quoque, Lutheranę sectę in Germania administro, quod se ex ore eius audiuisse Ioannes Rabus, ex Lutherano factus Christianus, in vrbe cum esset, nobis audientibus referebat.

CAPVT

Capvt XI.

QVONIAM autem ad munus Sacerdotale, & eorum præsertim qui curam animarum susceperunt, prædicādi quoque Euangelij officium pertinere dedicerat, in Ecclesia Parochiali Golubensi bis ac ter idipsum præstare conatus est: verum illa contentio ex animi sententia non successit, siue propter vocis exilitatem, siue propter alias infirmitates, & gracilitates corporis, quæ nimia vocis contentione cumulari & exacerbari poterant, siue quod illi dominus talentum hoc, sicut ipse referre dolenter admodum consueuerat, non est donare dignatus. Cum itaque pro concione nō posset, scribendo verbum veritatis prædicare aggressus est, Magni illius Gregorij Pontificis exemplum imitatus. Nā conciones scribebat Latina, Germania, & Polonica lingua, quas alijs prædicatoribus ad populum referendas offerebat, quę & intelligentium iudicijs valde probabantur, & in auditorū animis maximos fructus pariebant: cum propter magnā spiritus quę in illis elucebat vehementiā, & cor salutis proximorum cupidissimum, tum quòd tota ratio Catholicæ veritatis luculentissima oratione exponebatur. Ipse quoque Samuel Maczieyouski Cracouień. Episcopus salutaris patriæ nostrę senator, ex earū prędscripto verba

ad

ad populum facere non dubitauit: & sunt adhuc in manibus nostris eius generis sermones non pauci, Hosij manu propria, Latina, Germanica, Polonica lingua conscripti, qui suo tempore, si Deo visum fuerit, in lucem hominum emittentur.

Capvt XII.

Sic autem in Aula Regia viuebat Hosius, sic se in obeundis Cancellariæ muneribus adhibebat, vt quantum antea alios, tantum seipsum quotidie superaret. Nam & hoc ante omnia diligentissime cauere solitus est, ne vllum obulum in limen suum admitteret male intrantem. Munera quæ excæcant oculos plane respuebat; ita vt successores eius abstinentiam accusarent, quod auream illam remunerandorum laborum & officiorum consuetudinem, antiquo vsu receptam, in Cancellaria Regia, magno ministrorum detrimēto, partim explosisset, partim in cibaria munera conuertisset. Cum in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi resideret, in qua Canonicatum coactus acceperat & aliquando contigisset, vt ab officijs diuinis, per occupationes officij sui, abesse coactus esset, ipse magis quam ministri Capituli vel vt alicubi vocantur Punctatores, absentiā suam obseruabat: & cū illi distributiones quotidianæ sine vlla deductione ad numerarentur, cum esset sui ipsius diligentissimus obseruator & cu-

& custos, tantum de oblata pecunia detrahebat, quãtum per Capituli leges absentibus detrahi consueuerat. Cùm itaque mores haberet sine auaritia, contentus sicut ait Paulus præsentibus, fidens Deo qui dixit, Non te deseram, neque derelinquam, eiecta ex animo huius Idoli seruiture, vitam legibus Dei astrictam, linguam autem & orationem, aulicis legibus. Et omni adulatione, & blanditijs ambitiosorum hominum, liberã & solutam, habere voluit. Et cum aliquando iussus esset litteras ad Cæsarem scribere quæ ad dissolutionem matrimonij longa & accurata deliberatione præcedente, inter maximos Orbis Christiani Principes cõstituti pertinebant, sicut olim Beneuolus Imperialis scriba fecisse memoratur, cum Iustina Augusta Concilij Ariminẽsis abrogationẽ scribere præcepisset, sine vllis dissimulantiæ inuolucris, quod facere iubebatur propterea recusauit, quod rem eam magno cum Regni patriæque periculo coniunctam videret: & cum paulo ante factus esset minister, reconciliationis, ministerium diuisionis & separationis, exercere nõ deberet. Quæ ad vnitatem, charitatem, & mutuam Principum concordiam constituendam pertinerent, in ijs dicendis, scribendis, exequendis, nullum in se laborem, fidem, diligentiam desideratam iri dicebat. Vt autem Sathanę consilia, qui diuidit inter fratres vlla sua opera, cõsilio, assensione approbet, prius se de gratia Regia.

gia, de fortunis, ac de ipsa quoque vita decessurum, quàm rem Sacerdotis officio, qui non diuisionis sed reconciliationis minister est, ac persona, vocationeque sua indignam esse designaturum. Quæ cũ essent ad regias aures perlata, sic animum illius perculerũt, vt ipse quoque rescindendi matrimonij cogitationẽ abiecerit, & quæ semel fuerunt constituta, consentientes principijs exitus acceperunt, ac fertur etiam Regina Bona aliquando dixisse (nam ad illam quoq. plurima Regni negocia referebat) Putabam quod Hosius nesciret nisi scribere, sed video quod scit etiam dicere, & hoc quoque nomine sæpe innocentẽ appellabat, quod in animo serpentis prudentiam aleret, in moribus columbæ simplicitatem obtineret.

Capvt XIII.

Sigismvndvs autẽ primus sapientissimus ille Rex, cum pro sua prudentia iudicaret mores Hosij sacerdotio, Zelum Episcopatu esse dignissimum, & ei cõmitti rectè posse curam animarum, quas antea seruare didicisset, splendorem illum præstantissimarum virtutum, quæ in eo elucebant, ad illuminandos cæteros super candelabrum ponere in animo suo constitutum habebat, ac perfecisset etiam, si vitam illi Dominus longiorem concessisset. Cum autem cælestem illam in domũ ex istius

corporis domicilio migraturus esset, sicut olim Constantinus ille Magnus filio suo Constantio, de Athanasij gloriosissimi Christi Confessoris ad Episcopatum restitutione, sic iste Sigismundo Augusto filio suo, de Hosij ad Episcopatum promotione mandata dedit; quæ etiã is est non ita multo post executus. Hosium enim ad Episcopatum Culmẽsem Iulio iij. Romano Põtifici nominauit. Sed cum is in oculis suis paruus esset (non enim vltimum quod de sapiente viro Philo Iudæus memorat) inanis gloriæ tunicam exuit, sed cum alias animi perturbationes vincere didicisset, virus quoque virtutum, laudis scilicet & gloriæ cupiditatẽ, ne in animum admitteret statim ab initio laborauit) & Episcopalis officij magnitudinem & difficultatem, cum ex alijs tum vero maxime ex illo Chrysostomi aureo de Sacerdotio libello cognitam perspectamque haberet, quibus periculis esset vita pastoris obnoxia, quanta ab eo integritas, quanta religio exigatur, qualem linguam, qualem animam esse oporteat, eius qui pro Christo legatione fungitur: tum etiam præsentis temporis, difficultates, audaciam, licentiam, impudentiam Catholicorum ignauiam, & tepiditatem, insidiatores multos, laqueos paratos, inuidorum greges, ambitiosorum cohortes, Principum terrores, æqualium detractiones, adulationes, palpationes, & vt semel dicamus, quod ita purum, ita constantem

Officia Episcopi Difficilia

tem eſſe Epiſcopum oporteat, vt ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret. Et quod ad proximum attinet, ita ſollicitum, vt omnium neceſſitatibus ſuccurrat, omnium preces audiat, omnium quærimonias intelligat, omnium vulneribus medeatur, omnium errores corrigat, omnium morbos cognoſcat, omnia medicinę genera explorata habeat: cũ opus eſt vrat, cũ opus eſt ſecet, ſcindat, vulneret; viciſſim autẽ fomenta & ſalutares medicinas, cum opus eſt, adhibeat, mille ei oculis, mille pedibus, mille linguis, mille opus eſſe manibus vt omnibus fiat omnia. Hæc inquam & alia eius generis cum animo ſuo videnda proponeret, latere potius quàm his tantis ęrumnis ac tẽpeſtatibus vitã ſuam obijcere cupiebat. Quãobrem cum per amicos non poſſet Regem de ſuſcepta ſententia dimouere, coràm id etiam, à Regia Maieſtate verbis ad perſuadendum aptis flagitabat, vt ad alium potius ea dignitas deferretur, non ſolum prece, ſed nouo quodã & inuſitato exemplo vſus, pretio quoque propoſito. Cũ enim in aula non deeſſent Lutheranæ factionis ſectatores, ruinis Reip. Chriſtianę gaudentes qui regẽ de ſententia promouendi Hoſij, propoſitis neſcio quibus periculis & Pruthenicæ prouinciæ ſtatutis & conſuetudinibus, ac magna pecuniæ vi dimouere conarentur; ac illos Hoſij pro religione conatus, pietatẽ illam, ſuis conatibus, & Lutheri ſui ſomnijs,

pestem & exitium allaturam iudicarēt, precio ipsi quoque Regem, vt à proposito consilio discederet oppugnandum susceperunt. Non solum autem Regi, verum etiam Hosio munera amplissima obtulerunt, vt Episcopale munus oblatum detrectaret, alioquin caput suū multis & magnis periculis obijceret. Hosius autem (ò omnibus sæculis imitandum exemplum) tantum abest, vt aduersis hominum studijs, & contentionibus moueretur, vt etiam immortales gratias ageret, quòd tam exquisita cura salutis suæ causam agerent, vtq; ad alterum munus Episcopale deferretur laborarēt, qui qualiscunque tandem esset, se vno magis idoneus futurus esset. Quamobrem vt in sententia persisterent admonebat, nec nisi perfecta re conquiescerent, nullum sibi ab illis hoc vno maius beneficium præstari posse. Quod ad oblatam pecuniam attinet, nil vnquam sibi minus cordi fuisse, quàm opum studium: nullam se per Dei gratiam fœlicitatis partim in iniquo mammona posuisse, nullam in pecuniæ thesauris, ac tātum abesse, vt obtrusa auri pondera appeteret, vt etiam paratus esset ex suis angustijs aliquot centena ducatorum numerare, quicunque perficeret, ne Pōtificis Maximi authoritate, & Regia potestate munus oblatū suscipere cogeretur. Nil in animum suum minus cadere posse, quā vt vellet sua causa Iura & Priuilegia cuiuscunque tandē Prouinciæ aut Ecclesiæ violari,
pro

pro quorum conseruatione per tot annos in Cancellaria Regia quàm diligenter laborasset ipsorũ faciebat iudicium. Nec certè deerat Naaman quidam, si Giezi non defuisset, cuius pecunia aperuit os suum & clamabat; Ecce ego, mitte me. Sed omnium conatus Regia constantia eludebat: quam & mandata extrema moribundi parentis, & Hosij ipsius merita, & spes iuuandæ religionis concepta in sententia retinebat: vt in hanc Hosij promotionem cadere non potuerit, quod de sui temporis infœlicitate queritur Gregorius Theologus, quod, sicut ipse loquitur, ad Episcopatum promouendos, vno die sanctos fingimus, eosque sanctos & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerunt, nec aliud ad Sacerdotium attulerunt, prætérquam velle. Non solum itaque Rex ad Episcopatum nominauit Hosium, verum etiam ad sedem Apostolicam pro obtinenda confirmatione misit, ac sumptus intineris & iura Cancellariæ persoluit. Sic Hosius noster ad Episcopatum pertractus est potius, quàm peruenit: ad quem sicut de Cornelio scribit Cyprianus, non subitò accessit, non volauit, sed per omnia officia Ecclesiastica promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad Sacerdotij primum, deinde ad Episcopatus quoque sublime fastigium, cunctis religionis gradibus ascendit. Episcopatum enim neque postulauit, neque voluit, nec, vt cæteri quos ar-

rogantiæ & superbiæ tumor inflat, inuasit, sed quietus & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vim fecit vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt Episcopatum acciperet.

Capvt XIIII.

POst Episcopatum non ambitione vel pretio extortum, sed Dei qui Episcopos facit, voluntate susceptum, cùm iam Cathedra magnum & admirabilem Hosium non fecisset sed accepisset, quanta in administrando virtus quanta fidei firmitas, quantum animi robur, quantus charitatis ardor, quãta vigiliarum accessio sit consecuta, iam dicemus. Decreuerat is pro officio Episcopali ad Ecclesiam Culmensem, sponsam suam proficisci, & oues fidei suæ creditas, verbo veritatis pascere; sed cum Sigismũdo Regi, cũ inuictissimo Imperatore Carolo V. & Ferdinãdo fratre Romanorũ Rege, negocia quędam ardua, & ad Regni sui, ac totius Reipub. pacem & quietem stabiliendam valde pertinentia intercederent; visum illi est, consentientibus Regni senatorum iudicijs, vt pacis & vnitatis procuratio, pacis & vnitatis amantissimo Episcopo Hosio committeretur. Passus itaq; est Hosius, quod Rex cupiebat sibi quoque persuaderi, legationisque munus suscepit.

Existimabat enim maximam pietatem, pacis patriæque conseruatione contineri, nec minus id ad salutem animarum, & Ecclesiæ Dei pacem pertinere, si apud summos Orbis Christiani Principes, quam si apud oues suas, pro stabilienda pace laboraret. Profectus itaque in Germaniam, Ferdinandum Regem Viennę, Carolum fratrem eius Bruxellis, & Gandaui, & Philippum Catholicum Regem Caroli filium Antuerpiæ conuenit, legationemque exposuit, in qua tantis sententiarum ponderibus, tanta eloquendi elegantia, pacis & vnitatis commoda recensuit, quem nos adhuc sermonem in thesauris nostris asseruamus, vt non solum boni Oratoris, sed et boni Episcopi nomen & laudē apud illos Principes fuerit consecutus, ac in summo honore, tum Regis sui tum sua quoq; causa, propter maximam integritatis opinionē habitus, ea omnia quorum causa missus erat ex re & vtilitate Regni, & ex dignitate Regis sui confecit. Libenter autem Legationis verba, pietatis & prudentia plenissima, & pectus vnitatis studio inflammatum poneremus, nisi ad alia nostra properaret oratio. Sed ex responso Magni illius Cæsaris, sicut ex vnguibus leonem, Hosij in conglutinandis Principum animis, dexteritatem ostendemus, cuius verba sic habēt; Misso ad nos Oratore suo, Serenissimus D. Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, & amoris amicitiæ beneuolentiæque mutuæ cer-

tamen per eum nobis denunciauit, atque ad id nos prouocauit, maiorum etiam nostrorum exēplis propositis, qui cū Serenitatis illius maioribus, certamen hoc semel susceptum, ad extrema vsque vita sua tempora constanter viriliterque gesserūt. Nos vero quibus persuasissimum est, nullum esse certamen neque Deo gratius, neque Christiano Principe dignius, quàm sit hoc, ad quod per Oratorē Serenissimi D.Regis Polonię inuitamur, tātominus grauatim ad id suscipiendum assensi sumus, quod non modo maiorum nostrorum Regum & Imperatorum exemplis, verumetiam Dei Opt.Ma.præceptis ad eam rē impellimur: qui nil nobis neque per filium suum, neque per xii. legatos suos diligentius inculcauit, quàm pacem, concordiam, tranquillitatem, amorem, amicitiam, beneuolentiam, paternamque charitatem: neq; alia nota filios suos regnique hæredes agnosci voluit, quàm pace amplectenda, mutuaque dilectione retinenda. Quamobrem &c. In eandem quoque sententiam frater eius Ferdinandus Rom.Rex respondit. Cum autem diutius quam initio constituerat moram in Flandria Hosius traheret, pius Rex intercedēte Samuele Macieiouski Episcopo, Hosij amantissimo, nouam non contemnendam pecuniā in sumptus itineris ad eum transcripsit. Qua cum non indigeret Hosius, inusitato exemplo vsus, integram ad Regem suum remisit, in eoque rem, sicut de

suo Martino Bernardus memorat, non huius sed alterius sæculi designauit, quod videlicet legatus de terra auri sine auro redijt, transierit per terram argenti, & argentum nesciuit. In itinere vero cauit semper dirigentissime, ne ad hospicia hæreticorum diuertere cogeretur, sæpeque maluit per integros dies sine vlla refectione iter institutũ prosequi, nocte etiã in somnes aliquando ducere, vt in Catholicorum potius consuetudine festis præcipue diebus quos in offerendo incruento sacrificio, & in audiendis officijs diuinis, & concionibus ponere consueuerat, quàm in terris hæresi infectis consisteret. Ex itinere quoque ad Magnum illum Othonem Truchsesium Cardinalem Augustanam diuertit, virum conseruandæ religionis Catholicę cupidissimum, pietatis & pauperum non solum amicum, sed etiam amatorem, & in nos ante quã ad beatorum sedes euolaret, suauiter effusum, à quo fuit & honore maximo, & summa vultus frontisque hilaritate exceptus, propter nominis & famæ celebritatem, quam sua sibi pietate collegerat: quem etiam pater Cardinalis, Baro Truchses de Valburg vir grãdæuus, qui tunc apud filium Dilingę morabatur, vt primum aspexit, & quosdam cum eo sermones contulit, mulram senectuti suæ gratiam habuit, quòd eum vsque ad tempora tam laudati, & omni virtute cumulati viri, quem Angelum Dei & exemplum veteris sanctitatis vo-
 citabat

citabat perduxisset. Viros doctos, religionis Cathol. defensores, veri verbi Dei veros & legitimos ministros, vbique quos potuit libentissime salutauit, amicitiæ fundamenta iecit, ope, opera, cõsilio, auxilio, re, iuuit: de pace religionis, de Hæresibus extirpandis, de scripturarum locis, de hæreticorum argumentis, de omni artificio Ecclesiæ Dei tranquillandę, sollicitè cõsuluit, & vt ex omnium sermonibus, & vitæ ratione quotidie proficeret, laborauit; inter quos fuerunt, doctissimus ille Dominicus de Soto, Roardus Tapper, Petrus Canisius, Fridericus Staphylus, Martinus Eseingreinius, Vitus Amerbachius, & alij nõnulli, qui vicissim Hosium, illam antiquæ pietatis imaginem, sic intuebantur, vt quendam ex annalium Ecclesiasticorum memoria, aut de cęlo in terram delapsum, diuinum hominem putarent.

CAPVT VI.

EXPOSITA coram Rege legationis suæ ratione, ad Ecclesiam Culmensem, nulla mora interposita, se recepit, totumque suum studium non ad ocium & quietem post exantlatos illos aulæ & itineris molestissimos labores, quod ignaui & desides faciunt; nõ ad curã rei familiaris, quod hominũ est pecuniæ cupiditate perditorũ se contulit. Sed cũ duo esse Episcopi opera à Gregorio Pontifice didicisset, vt

aut

aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret, in lectionem scripturarum, ac in sacrę Theologiæ studium totum se penitus immersit. Ante omnia verò omnē adhibuit operam, iuxta Petri principis Apostolorum admonitionem, vt paratus esse possit ad satisfactionem omni poscenti rationem reddere de ea quæ in se erat spe & fide, & quod Paulus in Episcopo requirit, vt potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt & docent, quę non oportet arguere. In quo studio quantum profecerit, ea quæ cum hædis suis Toroneñ. (sic enim vocare oues pastoribus suis inobedientes, & rerum nouarum cupidos homines consueuerat) de religionis negotijs tractauit, apertissime ostendunt, Ad hos enim illico profectus erat, cum in illa Ciuitate fuisse cognouisset mente corruptos, sanam doctrinam non sustinentes, reprobos circa fidem, resistentes veritati, quibus Christo lucrifaciendis tam sedulā nauauit operam, vt ea sola cura reliquas omnes curas, & vitæ quoque tuendæ studium exclusisse videretur. Nam & cibi appetētiam fere amiserat, & somno quietibusque cæteris longe quam ante minus vtebatur, sciens illud, sicut ex Homero his etiam postremis vitæ suæ temporibus aliquando memorabat, quod

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧ λαοί τ' ἐπὶ δὴ τετράφαται καὶ τόσα μέμηλε.

Per-

Perpetuam noctem dormire haud principe dignum est,
Cui populi commissi, & tanta negocia curæ.

Ac fuisset profecto laboris sui & vigiliarum cũ quem cupiebat exitum apud Ciuitatem Torunensem consecutus, nisi Culmensem illã relinquere, ac Varmiensis Ecclesiæ curam suscipere, non sua cupiditate impulsus, sed Iulij Pontificis Maximi voluntate, Regiaque authoritate iussus esset: quorum iudicijs tanto facilius obtemperandum esse putauit, quod sacris etiã canonibus, transitionem ab vna Ecclesia ad alteram non translationem prohibitam esse sciebat, & exempla veterum Patrum memoria retinebat, qui ex vno Episcopatu ad alterum non habendi cupiditate, aut dominationis affectatione, vel inanis gloriæ studio, sed sicut Celestinus Pontifex, & collega eius Anterius præcipit vtilitatis communis aut necessitatis gratia, non sua voluntate sed superiorum auctoritate translati fuerunt. Profectus itaque ad Ecclesiã Varmiensem, quanto sublimius ascendebat, tanto humilior euadebat, quanto autem minor erat in oculis suis, tanto maior in oculis hominum apparebat. Ibi quoque immoderati aduersum se imperij fuit. In negotijs, in studijs sine intervallo grauis sibi instabat, nec desinebat nisi deficiebat. In legendis enim & euoluendis Veterum Patrum & Ecclesiæ Dei Doctorum immensis

mensis voluminibus assiduam, sine vlla intermissione operam nauabat, maximè autem omniũ sanctissimi Doctoris Augustini: quẽ sexies à capite ad calcẽ legisse, ac centies si legisset, ex eo quotidie proficere potuisse memorabat. Octo horas studijs, Octo negotijs, & proximorum infirmitatibus, octo valetudini quietibusque cæteris impendebat: & quantumcunque temporis, vel somno, vel negotijs detrahere potuit, id totum in lectione, & scriptione consumebat. Officium diuinum semper solus in Ecclesia prostratus in genua deuotissimè recitabat. Missæ sacrificium frequentissimè celebrabat. Diebus festiuis ad Ecclesiam Parochialẽ ex arce Helspergensi descendebat, & omnibus officijs diuinis, horis, processionibus, concionibus, & Missis publicis interesse volebat. Pauperes in Hospitali sæpe visitabat, consolabatur & largis eleemosynis subleuabat, cæteros omnes indigentes quicunque tandem accessissent, nunquam in donatos à conspectu suo dimittebat. Et cum sciret dominorum mores & studia ex familiæ plerunque moribus, & studijs æstimari, nec esse posse cuiusquam bonitatem tutam cum à malis obsidetur, sicut nec sanitatem securam vicino serpente, maximam, in recipiendis in familiaritatem suam seruitoribus, & ministris adhibuit cautionem. Neminem tulit vnquam in familia sua Hæreticum obstinatum, at ne quidem in fide suspectum, neminem publi-

publicis vitijs infamem, aut insigni aliqua nota turpitudinis aspersum. Ad legationes præsertim obeundas adiungebat sibi homines graues idoneos, eosque vt secum irent rogabat, inuitabat quos sciebat suæ famæ, capiti existimationi consulturos esse; ad laborem, non ad prædā ituros denunciabat; cum hoc quoque ab Africano illo didicisset, quamuis Ethnico, multo magis petendum esse ab hominibus, si salui esse volumus, vt eant nobiscum in Prouinciam quam hoc illis in beneficij loco deferendum. Ad frequentādam peccatorum confessionem, ad expianda peccata, ad communionem sacratissimi Eucharistiæ sacramenti, & vitæ exēplis & paternis admonitionibus accendebat. Otiū viciorum matrem non solum ipse exquisitissima cura fugiebat, sed omnes quoque suos familiares honestissimis occupationibus, ne vnquam Diabolus otiosos inueniret, quasi quibusdam vitę alimentis distinebat: alium lectione, alium scriptione, alium in sacra scriptura, & in Doctorum libris locorum inuestigatione, alium in scribendis, alium in rescribendis litteris, alium in audiendis, alium in explicandis negotijs occupabat. Omnes in vniuersum aliquibus officijs, implicatos & constrictos esse volebat. Et inter alios scio hominem, qui (quod sibi perpetuæ laudi gloriæque ducit) in illius erat intimis, quem in priuato suo conclaui, & in bibliothecis per integros dies libris & scripturis legen-

legendis, ac litteris excipiendis occupatum tenuit, vt nil plane vacui sæpe, liberique temporis habuerit, ad reliquas vitæ & valetudinis rationes procurãdas; atq; etiam ea re cum primis delectari videbatur, cùm adolescentes præsertim, ieiunijs, vigilijs, humicubationibus, lectioni, scriptioni, deditos esse videret. Malebat vt sudorem, laborem, militiam virum, quam vlla pigmenta olerent. Sciebat quod seuerior disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit, & iumenta quorum vngula in asperis montibus obduruit, quantumlibet difficilem viam facile patiuntur, in molli palustrique pascuo saginata citò subteruntur. Pueros autem nobiles quos alebat ad compatiendum Christo, & ad memoriam eius quinque vulnerum accuratius expendendam, non sicut olim Lacædemonij in illa sua διαμαστίγωσι gloriæ causa, sed veluti D. Bonauentura consulit, ad compunctionem excitandam, in singulas ferias sextas virgis cædi, voluit: cum hæc omnia ad frangendam ætatis intemperantiam & ad opprimendas adolescentię cupiditates plurimum habere momenti meminisset. Ministris suis & publicorum munerum procuratoribus, charitatis studium & amorem iustitię præcipue commẽdabat, vt subditos omni potius humanitatis & beneuolentiæ genere, quàm metu, malo custodie diuturnitatis, in officio continerent. Iram inermem haberent. pestiferam vim esse valere
ad

ad nocendum: cum non solum ferocissima sed etiam ignauissima animalia timeantur ob malũ virus. Peccatis eos non peccantibus irasci iubebat. In cognoscendis & dijudicandis controuersijs vt alteram semper aurem alteri parti reseruarent admonebat. Legis non legislatoris animum & personam assumerent. Et sicut illa notos & ignotos sine vlla differentia, sed non nisi reos cõdemnat, sic illi sine personarum acceptione, iustum iudicium iudicarent; alieni sanguinis essent parcissimi. Vltima supplicia nõ nisi vltimis sceleribus adhiberent, nec quenquam vnquam perire permitterent, nisi viderint etiam pereuntis interesse, vt pereat. Illudque ante omnia exploratissimum haberent, nõ modo ijs qui munus aliquod iusticię causa accepissent, sed & his qui dedissent inimicum se, si id cognouisset futurũ. Nec etiã magnopere ministros requirebat, qui omnes vias pecuniæ nossent, tales enim pecuniæ causa multa vicissim facere sciebat. Ac sępe maluit minus intelligẽtes ministros tollerare, quã se labyrinthis curandæ rei familiaris intricare. Scrutari sordes omnium, excutere vnumquenque suorum, illiberale putabat. De pretio escarum, de numero panum quotidianas rationes indagare, alienum ab officio Episcopi iudicabat. Rem putabat erubescendam, quod Christianus Christiano sua non crederet. Incumbere supellectili, ordinare singula, scire de omnibus, suspitionibus labora-

laborare, moueri ad quæque perdita vel neglecta, animi id esse censebat nimis abiectæ de misericordia Dei sentientis. Solius tantum temporis & horarum auaritiam honestissimam esse iudicabat. Et cum aliquando moneretur vt colonis suis paulo maiorem pecuniam imperaret, ex qua plurium posset necessitatibus succurrere. Tondere, ait, pecus permittimur, non deglubere, à me mos iste non cœpit, in me nolo desinat. Non enim aurum habere præclarum sibi videri, sed eis qui haberent aurum imperare. Facilis igitur erat in admittendis hominibus. Ostia sua Achatij Episcopi exemplo, accedẽtibus, aperta semper esse voluit, sciens quod vela non tam superbia quàm conscientia, magnatum ostijs obdidit. In negocijs cognoscendis & inuestigandis diligentissimus, in ferendis sententijs æquissimus; seueritatem abditam, in promptu semper clementiam habebat. In maleficos legumque transgressores, æquabili seueritate vtebatur, nulla gratia, nullo timore variata: atque hæc ipsa quoque seueritas, multis sæpe condimentis humanitatis mitigabatur. Assentatoribus qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum conuertuntur, aures suas nunquam patefaciebat, immo suspectos semper eos habebat qui palàm vererentur quod in aurem erant parati dicere. Colonos & agricolas libenter ex omni occasione familiariter alloquebatur,

cupiens ex illorum sancta simplicitate, sicut olim faciebat magnus ille Arsenius, proficere, quod reliqua omnia ex libris, & magnorum consuetudine, sola simplicitas ex consuetudine simplicium disci atque percipi posset. Familia non valde numerosa, equitatu honesto, cæterisque splendoribus & ornamentis, ita vtebatur, vt ea dignitatis magis quam potestatis insignia viderentur. Errores domesticorum & necessariorum suorum sic aspiciebat, sicut aspicit ægros suos medicus. In summa, sic se adhibuit in illa sua Episcopali dignitate, & potestate, nulla vt alia potestas ab his quibus præerat desideraretur. Plane enim nullum officium prætermisit diligentis ac moderati speculatoris, sed omnium commodis & vtilitatibus seruiuit, omnibus consuluit, omnibus medebatur, omnium saluti prouidebat: ac se non dominum esse, sed pastorem gregis Christi, & parentem filiorum spiritualium re & veritate comprobauit.

Capvt XVI.

Ad hunc itaque modum, compositis vitæ, familię, domusque suę rationibus, curam suam ad Ecclesiæ rationes subleuandas cõuertit. Erat in oppido Braunspergensi. Capitaneus N. Praika vir nobilis, habens coniugem quoq; nobilem, ex antiqua Cemarum familia oriundam,

oriundam, ſed in Lutherana perfidia enutritã, quam cum maritus ad rectam fidem non poſſet, illa maritum ad ſuam perfidiam nocturnis concionibus & blanditijs pertraxit. Non ferendum hoc putauit Orthodoxus Epiſcopus, vt ſubditis Eccleſiæ, deſertor Eccleſiæ imperaret. Quamobrem inter ſe & ipſum paternis primũ admonitionibus ad officium reuocare vtrunque conabatur, docendo, inſtruendo, cum omni patientia & charitate. Sed cum lenitate non proficeret, daturum ſe eſſe operam denunciauit, niſi paternis ſuis admonitionibus obtemperaret, vt ſicut ſe ſuo iudicio à corpore Chriſti Eccleſia & Epiſcopi & Domini ſui cõmunione ſeparauit, ita etiam à ſua & à reliquorum Eccleſiæ Varmieñ ſubditorum ſocietate ſepararetur, ac de munere Capitanei decedere cogeretur. Praikius vir animi alioquin moderati cũ Epiſcopum in ſententia perſiſtere animaduerteret, per Palatinũ Marieburgeñ Regia gratia præſidentem, Mageſtatis ſuæ præſidium implorauit, vt pro ſua poteſtate Epiſcopo mandaret, ne religionis cauſa, & maxime propter vſum vtriuſque ſpeciei, qui in reliqua Pruſſiæ parte tolerabatur, virum de vniuerſo Epiſcopatu benemeritum, & munere ſuo fideliter & cum fructu perfungentem, Præfectura Brauſpergeñ dimoueret. Rogatus à Palatino Rex, datis ad Hoſium litteris, quod rogabatur rogauit; vel fortaſſe etiam vt in Aulis magnorum

Principum accidit, obreptum illi est. At pius Episcopus acceptis litteris, cum se se tanquam scutis, atque telis maxima in Deum fiducia & orationum præsidio armauisset, Alexandri Cõstantini Episcopi exemplum imitatus, cui vt Arrium in communionem reciperet Constantius Imperator mandauerat; & illa pijssimi Theodosij Cœnobiarchæ ad Theodosium Imperatorem, plena Christianæ libertatis verba ferens in oculis; Tantum abest, ait, ò Rex vt hęc in subditis nostris noua toleremus dogmata, vt eos etiam qui ea profiteri voluerint, piè abdicare & anathemati subijcere cogitemus. Absit vt hoc fiat ò Rex Christe, & siquis vim facere voluerit, veritatis auctorem Deum testamur quod vsque ad sanguinem resistemus, & libenter animam pro recta fide profundemus, nec quenquam permittemus aliquid sentire, tantum abest, vt dicere quod discrepet à Sanctis Patribus & Oecumenicis Concilijs. Hunc potius, ò Rex, qui superbit & errat admonere quã me ab officio munereque meo reuocare debuisti. Nam etsi peccata Hosij tanta sunt, vt pati talia debeat; Petri Apostoli peccata nulla sũt, vt Regni tui tẽporibus, ab eius Cathedra talis secessio fieri debeat. Quamobrem à Regia Maiestate vicissim postulauit ne quid sibi (hæc enim sunt epistolę verba) velit imperare, quod Episcopo Catholico non sit dignum, & in quo nisi vellet animã suam, qua nihil habebat cha-

rius Sathanæ tradere, Maiestati suæ parere non posset, nec etiã deberet. Omnia potius alia velit imperare. Quod si mihi etiã ad mortem vel in exiliũ proficisci, sic imperãte M. V. licebit, modo ne quid contra Deum & conscientiam meã facere cogar, id mihi beneficij loco futurũ est. In te Domine speraui non confundar in æternum. Agnoscat me Praikius pro suo Episcopo, conscientiã suam non ipse sibi liget, aut soluat arbitratu suo, sed à me Episcopo & pastore suo solui ligarique patiatur: à me, non ab vxore de vero sensu & intelligentia scripturarum doceatur, in quarum meditatione bonam vitæ meæ partem consumpsi, vt eam (quod sine arrogantia dictum velim) melius intelligere mihi videar, non modo quam ipsa mulier, verum etiã quam pater eius: tum ego facile patiar, vt bona conditione sua, aliquo etiam cum detrimento meo, Præfectum agat Castri & Oppidi mei Braunsbergeñ. Ita factum est, cum Episcopus Regio imperio vinci non posset, vt Rex Episcopi constantia vinceretur, & Praickius vxoris potius, quam Episcopi sui religionem secutus, præfectura Braunsbengensi decedere cogeretur.

CAPVT XVII.

AD cęteras quoque Episcopatus partes, partim repurgandas, partim in officio retinendas studium conuertit, si quos ex vici-

norum Hæreticorum consuetudine, qui sub dominatu Ducis in Prussia, sicut prius Ecclesię ita postea Lutheri dogmate reprobato, nouũ Osiandri dogma receperant, vitium traxisse co gnouerat, nullum laborem docendi, monendi, rogandi, tam per se, quàm per sacerdotes, & pa rochos & Theologos suos nullam prorsus occasionem prætermittebat; libros Catholicos pro singulorum intelligentia tam latinos quã vulgares offerebat, hæreticorum errores, audaciam, impudentiam, crudelitatem detestari, ac in odium adducere non cessabat. Quoniam au tem in tenera iuuentute, rectè & honestè & lau dabiliter instituta, magnum habere momentũ ad vniuersæ pietatis propagationem iudicabat, nobilium puerorum & adolescentum non contemnendum numerum, maximis expensis sub disciplina Catholicorum pręceptorũ aluit, atque vt in recta fide timoreque Domini tenera eorum ætas instrueretur, maxima adhibita di ligentia laborauit; sciens quam grauiter deploret Esaias Propheta suorum temporum infelicitatem, quibus impietatis Magistri, æque vt nunc Hæretici, operam enixe dabant, vt fierent laqueus iuuenum, hoc est, vt adolescentes suos eodem scelere colligatos in eandem fraudem impellerent, & doctrina scelesta, & impia à teneris annis imbuerent; tum vt etiam vestigia sanctissimi Christi martyris Thomæ Cantuarieñ Archiepiscopi, in eadem iuuentute

educan-

educanda sequeretur, qua vna re animos vniuersæ nobilitatis mirabiliter sibi adiunxit, ita vt hæretici quoque parentes, liberos suos in fidem & protectionem Hosij committerent, & sunt ex hoc eius studio non vulgares fructus in Ecclesia Dei & in ipsa quoque patria nostra post aliquot annos consecuti.

CAPVT XVIII.

COegit interea Synodum prouincialẽ Nicolaus Dziergouskij Gneznen Archiepiscopus: ad quam etsi non pertineret Episcopus Varmiensis, maluit tamen Hosius de iure quam de charitate, aut de studio iuuandæ Ecclesiæ decedere. Profectus est Petricouiam. In itinere porro transeunda erat Istula, ventis & glacie defluente impedita, cui periculo ne se committeret, & à nautis, & à suis domesticis rogabatur. Cæterum ille malens vt se mortuũ potius quam viuum desideraret Ecclesia, reposita in Deum fiducia vilem quandam scapham conscendit, in medio flumine cùm esset, cœpit obrui fluctibus, atque ad orationem cõuersus, exæquatis cordis intentioni luminibus, Christe, tua, inquit, causa agitur, adiuua nos, ac ita periculum euasit, & in tempore ad synodum venit, quo in loco quam sapientes sententias dixerit, quæ consilia suggesserit ad Ecclesiam Dei pristinæ paci restituendam, cum alia mul-

ta, tum hoc scriptum ostendit, quod Archiepiscopo porrexit, in quo hæc inter cætera, verba leguntur; Vnusquisque nostrum in se descendat, quæ regnent in se consideret, atque ex eo coniecturam capiat, regnum ne Dei primum quærat, iuxta Magistri nostri consilium, quod intra nos est, an Sathanæ potius Regnum, de quo nos pretioso sanguine suo liberatos Deus esse voluit. Dolenter dico, verumtamen quin quod sentiam dicam, facere non possum. Omnes prope derelicto Regno Dei, Sathanæ Regnum quærimus, ac nullius propè rei quam tẽporalium istorum, quæ fluxa sunt & caduca curam habemus maiorem. Sed cum dixerit Magister noster; Primum quærite regnum Dei et hæc omnia adijcientur vobis, non est mirandũ si non desunt nobis et externi et domestici hostes, qui postquam Regnum Dei quærere desijmus, ea quæ adiecta nobis oportuit, regnum Dei quærentibus, detrahere quantum possunt et eripere conantur. Nostris hoc vitijs et flagitijs debemus, quod abijs ipsis quibus nos benigne facimus, quod ab ijs etiam qui nos arcta necessitudine attingunt, de iurium nostrorum abrogatione, de Priuilegiorum et immunitatum antiquatione, de fortunarum nostrarum euersione, consilia iniri videmus. Cũ enim animaduertant multum nos ab officij religione declinare, nec alij fere rei, quam congerendis opibus auidè inhiare, cum solo nomine spiritua-

rituales, reuera autem plusquam carnales et sæculares nos esse conspiciant, cum eam esse vitam, eos mores nostros videant, vt nomen Dei per nos blasphemetur inter gentes, non solum nos et odio et contemptu dignos esse iudicant, verum etiam de fide de religione, de Deo dubitare incipiant, atque alij hanc, alij illam sectam profitentur, plerique etiam à fide Christiana ad perfidiam delabuntur Iudæorum. Redeundum itaque nobis est in viam, corrigẽdi sunt praui mores nostri, vitęque nostræ commutatione placandus est Deus: ita futurũ est, vt hæc temporalia, quæ nobis adiectum iri regnum Dei quærentibus promisit, nemo nobis eripiat, & consequamur præterea regnum illud sempiternum. Postquam autem in vitam nostram inquisiuerimus, atque in melius commutauerimus, tum demũ in aliorum nos quoque mores inquirere oportebit. Sic fiet vt oues nostræ voces nostras libentius audiant, salutẽ suam nobis fidant, ductum nostrum sequantur, quo ducimus eant, cum viderint non solũ docere quæ Christus docenda præcepit, sed etiam facere. Nos enim speculatores Deus dedit domui Israel. Debemus diligẽter speculari, quemadmodum se quisque gerat in Diecœsi nostra, qua vita, quibus sit moribus; atque illud in primis, quas de Deo, de fide, de religione opiniones habeat. Tam pia Orthodoxi Episcopi admonitio, cum reliquorum Episcopo-

rum animos ad ſtudium reformandæ vitæ accendiſſet, conſtitutum ante omnia eſt, vt fidẽ Eccleſiæ Catholicæ iuramento interpoſito ſinguli profiterentur. Propoſita fuerunt certa doctrinæ capita, vt ſuam de illis ſententiam omnes Epiſcopi dicerent. Quoniam autem nudè proferebantur, poſtulatum ab Hoſio fuit, vt ea pluribus verbis explicaret, & illuſtriora redderet, quo melius intelligere poſſent quid illic foret, de quo iure iurando interpoſito ſententiam ſuam eſſent dicturi. Quod etiam ab illo, vt anguſtiæ temporis ferebant curatum eſt diligenter: conatuſque eſt doctrinæ capita in ordinem redacta, ſcripturarum & Conciliorum, Patrumque teſtimoniis, ac probabilibus etiam rationibus confirmare, quo facilius ad ea calculo ſuo comprobanda Patres adducerentur. Neque prorſus irritus cecidit labor hic illius. Nam ſimul vt lecta fuerunt quæ conſcripſerat doctrinæ capita, iurarunt ſtatim in ea omnes, qui tũ præſentes erant Epiſcopi: & libello quẽ produxerat manibus ſuis ſubſcripſerunt, quin etiam vt is typis mandaretur, decreuerunt. Sic Hoſius publici commodi procurator & antiſtes; cuius curæ finis erant rerum termini, piam & Orthodoxam doctrinam, ſicut olim Greg. feciſſe Baſilium memorat, litteris conſignauit, importunam hæreticorum audaciam propulſans, & alios armis linguæ comminus feriens alios autem attramenti ſagittis impetẽs. Quoniam

niam autem quatuor tantum dierum ſpacium ad ſcribendum illi datum erat, & res grauis atque ardua tractabatur, ne quid Patres de ſcripto illo feſtinantius ſtatuerent poſtulauit, ſimul etiam ſe facturum recepit vt intra paucos menſes, ea quæ ſcripſerat accuratius expenderet, ac perpoliret, augeret etiam ac locupletaret. Ac initio quidem liber ille Cracouiæ fuit typis mandatus: & poſtquam in Vrbem Romã eſſet perlatus, omniũ Theologorũ iudicio fuit approbatus, ita vt Magnus ille Cardinalis Auguſtanus Otto Truchſes dignum iudicaret quem in Oppido ſuo Diligenſi ſtatim imprimendum curaret. Idem paulo poſt factum eſt Moguntiæ: vbi tamen, quæ illius erat modeſtia qui nunquam nomina ſua in terris ſcribere didicerat, auctoris nomen prætermiſsũ erat: qua de re cũ à Roardo Tapper viro doctiſſimo admonitus eſſet, quod in terras Catholicorum, libros qui nomen auctoris præfixum non haberent, importari minime liceret, nomen ſuũ deinceps non grauatim adſcribi paſſus eſt. Hæc initia tam laudatus iſte liber habuit, qui deinceps in orbe Chriſtiano tãtas vtilitates & commoda peperit, qualia ſequẽs oratio indicabit, adeo vt de eo quoque nos quod olim de Baſilij ſcriptis Gregorius, dicere poſſimus, quòd poſt Hoſium nulla alia ſcribendi materia contra hæreticos ſcriptoribus ſuppetere videatur. Quod autẽ ei libro titulum hunc dederit Con-

ſeſſio

ſeſſio Catholicæ fidei Chriſtiana, id eo conſilio in quadã Epiſtola ſe feciſſe memorat, quod videbat Hęreticos ſcripſiſſe, Confeſſionem Auguſtanam, ipſe contra voluit ſcribere Confeſſionem Chriſtianam: illi ſuæ priuatæ, ipſe vero Catholicæ fidei: vt ſicut doctrina doctrinæ, ſic & titulus titulo ex diametro opponeretur, & ſemen adulteræ, à ſemine liberæ in fronte & in oculis, in ipſo initio diſcerneretur.

Capvt XIX.

CVm Gedanum aliquando Sigiſmundus Rex veniſſet, vir quoq; Dei Hoſius, cum ſalutandi Regis, tum religionis præcipue cauſa, ne quid incommodi à Ciuibus nouitatis ſtudioſis pateretur, ad Ciuitatem illam acceſſit, qui quod futurum ſuſpicabatur, Auguſtanæ Confeſſionis approbationem, magna adhibita contentione, aureis armati gladijs, à Regia Maieſtate petiuerunt. Hoſius contra ne Rex tantum ſcelus admitteret, omni ſuo ſtudio conatu, labore, diligentia impediuit, cognominiſq; quondam ſui Hoſij Cordubenſis libertatem in eo admonendo, imitatus; Ne te, ait, immiſceas ò Rex, rebus Eccleſiaſticis, neque Epiſcopis in hoc genere præcipe, ſed ea potius ab illis diſce. Tibi Deus imperiũ cõmiſit, nobis ea quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Ad Regem palatia, ad Epiſcopum Eccleſiæ pertinẽt. Quin tu potius

defende contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, vt & tuũ Christi dextera defendat imperium. Venerat autem Gedanum salutandi quoque Regis causa Albertus Marchio Brandeburgensis Dux in Prussia, qui non ita pridẽ & Ecclesiæ Catholicæ & Ordinis sui Theutonicorum S. Mariæ legibus & institutis, cuius supremus Magister erat cõstitutus, repudiatis, primo quidem impetu ad Lutheri dogma, postea vero ad Osiandri in articulo de Iustificatione sententiam, Lutheri magistri sui, & eius sim mistæ Philippi Melanthonis sentẽtia reprobata, defecerat, eumque hominem in oculis & delitijs habebat, totumque salutis suæ præsidium in eius præcipue ingenio & doctrina collocabat. Ad eum Ducem iussu Regis, cum alio quodam Regni Senatore accessit Hosius, vt de quodam negotio ad Rempub. pertinente cum eo transigeret, ac etiam admoneret, ne tubarum clangoribus ad suas Osiandrinas conciones populum conuocaret. Quo constituto pro Christiana charitate, qua pectus instructum habebat, & incredibili Zelo quo abundabat Catholicæ fidei, iuxta Pauli præceptum, siue per occasionem, siue per veritatẽ, propagandæ; tenere se non potuit, quin errorum in quos incurrerat, Ducem & vicinum, & bene de se meritũ admoneret. Memini, dicebat, eius temporis cũ Excellentia tua eã religionis doctrinam sequeretur, quam docet vna sancta, Catholica, Apostolica

stolica.Romana Ecclesia,omneque salutis suæ firmamentum in huius vnius præsidio collocabat,nec saluum esse quenquam posse iudicabat,nisi quod illa doceret fideliter firmiterque retineret. Suscitato vero ab inferis Luthero, qui primus hoc infœlici sæculo nostro, cum in lupæ prius cuiusdam gremio, quam illi vxorẽ vocare visum est,mentem metumque deposuisset,doctrinam Ecclesiæ Catholicæ ausus fuit superbissima præsumptione reprobare,& sopitas atque reprobatas dudum hæreses,sub scãnoque sepultas,pro puro puto verbo Dei in lucem hominum producere. Visum est Excellentię tuæ,quod gratissima quędam lux oculis suis affulserit. Quamobrem quam tenebat Ecclesiæ doctrinam tanquam nimis & ortu & virtute antiquam & obsoletam, longoque situ squallẽtem repudiauit, nec esse spem salutis in illius obseruatione collocãdam iudicauit;eam vero quam è latebris Lutherus extraxerat,omnibus numeris, & partibus absolutam recta in Cælũ,mitt spornn vnnd Stiuell(sic enim Germanice loquebatur)quasi diceret,ocreatum & petasatum ducere,esseque per omnia Euangelio Christi & Apostolicæ doctrinæ consentaneam,totiusque salutis humanæ arcem in ea sola esse constituendam. Venit postea Osiander qui Lutheri de Iustificatione dogma, si iuxta Philippi interpretationem accipiatur, damnauit, & sibi soli huius articuli intelligentiam,ar-

rogare

rogare non dubitauit, eamq; ab omnibus tanquam Dei verbum & ipsissimum Euangelium Christi recipi adorarique voluit, quam etiam Vitembergensis pseudapostoli, cum suo Brentio approbarant & cum Euangelio consentire censuerant. Vvitembergenses autem ministri, Philippus, Pomeranus, Forsterus, damnarunt, omnibusque sententijs reprobarunt, & editis contra Osiandrum libellis, omnibus maledictorum notis, & sententiam, & eius auctorem, prosciderunt. Vocant enim Osiandrum hæreticum Antichristum, Iudæum, nigrum diabolum, draconem, hominem nefarium, consceleratum, hostē Christi, quod in eius cubiculo scriptitare diabolus visus esset, et quod alii duo in specie canum quocunq; se verteret eum sequerentur. Vicissim autem Osiander Scholæ Vitembergensi, & præcipue Philippo tyrannidem obijcit, quod discipulos suos iuramento interposito adigant id pro verbo Dei recipere, quod ipsis videretur, de aliquo scriptura loco; & monet etiam parentes diligenter, vt etiā atque etiam secum deliberent, num suos filios Vitembergam mittere debeant, vt ibi Magistri vel Doctores efficiātur. Cogūtur enim, inquit, ab iurare verba Dei, & iurare in verba Philippi. Iurat enim quilibet quod de grauioribus rebus ad fidē pertinentibus, nil velit statuere, nisi de sententia seniorum confessionis Augustanę, etiā si contrariū dicit scriptura, quā si sequi po

tius

tius voluerit, erit periurij reus. Ita secreta fit quædam conspiratio, quæ magis hominum quam Dei verba respicit, atq; ideo Christianę Reipub.non parum adfert detrimenti. Philippi verbum plus apud eos ponderis habet quã Dei verbum. Sex, ait Osiander, & triginta scripturarũ loca produxi, quibus habitare Deum in nobis ostendi; creditum nõ est. Simul vt Philippus paruam schædam scripsit, qua testatus est rem ita se habere, statim creditum est. Vox est audita de cælo patris de Christo dicentis: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, hunc audite. Hunc, inquit, audite, non Philippum, non alios homines, qui tibi os obturant, & volunt vt secundum eorum consilium non autem secũdum scripturas pronuncies. Sic Osiander ferre non potuit, vt homines ad Confess. Augustanam quod Philippi verbũ est, alligarẽtur potius, quã ad Dei verbũ; & patietur Excellẽtia tua se ad Osiãdri verbũ quod Dei verbum non est alligari? Quin potius postea quam Osiandri iudicio tantum tribuit, & eum in intimis atque delitijs habet, consilium eius sequi deberet, & Dei voci qui filium suũ, non Philippũ, nõ Lutherum, non Osiandrũ audire iubet, obtemperaret. Loquutus est olim Deus in Prophetis, loquutus est in filio, loquitur & nunc in Ecclesia. Hanc igitur iuxta Christi & Pauli consilium audiat, & iuxta Osiandri sui consilium, nec Philippo, nec Con

fessioni Augustanæ, nec ipsi quoque Osiandro fidē vllam adiūgat, cum ipse quoque sit homo sicut Philippus & Lutherus erroribus multis & infirmitatibus obnoxius. Non vult sibi Osiander à magistris & prçceptoribus suis os obturari, non secundum eorū consiliū, sed secūdum scripturas de fidei articulis vult pronunciare; cur sibi Excellentia tua ab Osiandro patietur os obturari, vt de fidei articulis id approbet, quod dicit Osiander, id reprobet, quod dicit scriptura? Nonne hæc ipsissima est idololatria, hominis verbū pro Dei verbo recipere, & ab eo discedere nefas esse existimare? Nam si hominum sententias sequi voluerit, nullo vnquam certo gradu consistet, sed in dies in peius proficiet, dum per omnes impietatis gradus eo perueniat vt dicat in corde suo; Non est Deus. Superbia enim, ait scriptura, eorum qui oderūt Dominum ascendit semper. Nil itaque ad salutem tutius, quam istorum qui se nouos recentesque Deos faciunt, quos non coluerunt patres nostri, quocunque tandem illi nomine vocentur, sententias reprobare & Ecclesiæ Catholicæ cui promissus & missus est. Spiritus sāctus, quā columnā veritatis vocat Apostolus, in qua ipsa quoq; Excellētia tua nata & educata esset, quam à suis maioribus, auis, attauis, prouauis, abauis, custoditam esse non ignoraret, adhærere. Hęc & alia id generis multa, quę Spiritus sanctus causam suam agenti suggere-

bat, cũ dixisset Hosius; Dux alioquin eloquẽs, & qui sibi cautus & prudens videbatur, vi veritatis victus, cum gratias pro amicissima admonitione egisset, nil aliud respondit quam hoc. Quantum video tu velles me facere Papistam. Hosius autem; Ego, inquit, profiteor me esse Christianum, postea Papistam, deinde Registam, & si natus essem in ditione tua, nõ erubescam profiteri me ducistam. Libenter enim agno semper legitimam potestatem, cui me subiectum Deus esse voluit. Summum Pontificem meum, & totius Ecclesiæ caput, quin & Regem ac Dominum meum, agnosco Christũ Deum & Saluatorem meum: nunquid propterea non est agnoscendus Rex meus & Dominus meus Sigismundus? Quod si verò non detrahitur supremo Regi meo, & Domino Iesu Christo, si Regem & Dominum meum esse dicam Sigismundum Augustum; certe nil detrahitur eidem, si summum etiam Pontificem in terris, pastorem meum & Ecclesiæ totius caput, sub illo capite, agnoscam Christi vicariũ, Petrique successorem Rom. Pontificem. Proinde me non offendi, verum etiam laudi ducere, si quis me vocet primum Christianum, deinde Papistam, postea Registam. Cæterum Lutheristam, Caluinistam, Osiandristam vocari me nolle, quod non videam, quo iure illi subiectus esse debeam, qui nulla fuit in potestate cõstitutus, & Cathedram suam contra eius cathe

dram

dram constituit, cui scio dictũ esse pasce oues meas, cui claues Regni cęlorũ datas esse in iisdem illis scripturis lego, in quibus lego, quod venturi essent Pseudoprophetę pellibus ouium cooperti, & ostensuri, Ecce hic est Christus, ecce illic: quales istos Lutheros, Philippos, Osiandros, & alios similes istis esse persuasum habeo. Et credat, ait Excell. tua, quod apud istos qui Papistæ nomẽ cõtumeliosum putãt, nõ minus est contumeliosum, Cæsaristæ & Registæ nomen. Nihil enim aliud quam euersam volunt omnem legittimam potestatem, vt ruant sursum deorsum omnia. Et hoc est Euangelium quod profitẽtur. Porro quibus tũ vsus est Germanica verba hæc fuerunt; Ich bin ein Christ, ein Papist, ein Regist; aller meiner obrikeijt dermich Gott vnderv vorfen hatt vill ich trew vnnd gehorsam leisten; aber da behutt mich Gott fur, das ich sollein Luterist, ein Caluinist, ein Satanist sein. Id est; Ego sum, Christianus, sum Papista, sum Regista: potestati meæ, cui me Deus subiectum est voluit, omnem fidem & obedientiam præstabo. Cæterum hoc à me quam longissime absit, vt Luterista Caluinista, siue Satanista sim et vocer. Debitam fidem & subiectionem erga sublimiorẽ potestatem testatam omnibus facere cum primis id ad laudem & gloriam, amplum & illustre fore iudico, nec vlla res maiori mihi est abominationi, quam vel à Luthero, vel à Caluino, vel ab alio

 quoppiam

quoppiam eiusdem farinæ nomen ducere, & eorum alicuius verbum, Dei verbi, & Euangelij appellatione dignari, cum nulla possit esse maior quam hæc idololatria. Procul hoc à nobis absit, ô Christe, vt ab homine potius quā abs te velimus habere cognomentum, tanquā si essemus mortui alicuius hæretici monumentum. Quis enim Lutherum, Caluinum, Philippum, quis Osiandrum, quis tot tam multos, tā varios tam contrarios spiritus phanaticos, ad prædicandum misit? quis nobis vt illis dicto audientes essemus imperauit? nisi forte Deus venter, Deus huius seculi, Princeps tenebrarū. Scio Christum à Deo, Petrum à Christo missum esse: scio illi ligandi, soluendique potestatem datam esse: scio illi dictum esse, Non deficiet fides tua: scio Romæ sedisse, quod à Christo didicerat docuisse, successorem accepisse, & illam eandem Petri doctrinam, per manus succedentium sibi Episcoporum ad nos vsque illibatam peruenisse. Ad hanc itaque Petri Cathedram, quam vnitatis Cathedram vocare Augustinus, & in ea Dominum posuisse doctrinā veritatis affirmat, redeundum: ab illis pestilentiæ cathedris, quas Lutherus Vvitembergæ, Caluinus Geneuæ, Osiander Regiomonti, alij alibi per summam audaciam erexerunt, velis quod aiunt, remisque recedendum esse. Vnus Deus, ait Paulus, vna fides, vnum Baptisma. Quidquid extra vnam fidem est, non fides sed

perfidia est. Posteaquam ab vna fide discessum est, tot fides esse cœperunt, quot volũtates. Ad hoc autem esse cœperunt, ait B. Athanasius, vt ne vna sit. Nil itaque foret melius, quã eo redire vnde discessum est, ad vnam Sanctam, Catholicam, Romanam, Ecclesiam. Audiuit hæc omnia dux valde patienter, sed obduratum fuit cor hominis, ne crederet veritati, quæ res incredibili dolore animum de omnium salute solliciti Episcopi affligebat. Sed impletum est illud Prophetæ; Si tu annunciaueris impio, & ille nõ fuerit conuersus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

CAPVT XX.

AGEBAT interim in Polonia S. Sedis Apostolicę Nuntium, vir pietatis & doctrinę laudibus cumulatus, Aloysius Lypomanus Episcopus Veronensis, qui tantum hoc in iuuanda religione Hosij studium, tantam vitæ innocentiam, magnopere suspiciebat, illiusque potissimum, quod eum Deo charum esse cognouerat, & cõsuetudine & consilio vtebatur. Eodem autem tempore venerat quoque ex Germania Petrus Paulus Vergerius, Christi & eius Vicarij Romani Põtificis nobilissimus perduellis, & humani diuinique iuris Legirupa, vt Athanasij verbis vtamur. Dedicauerat is Magistri sui Brentij librũ Serenissimo Poloniæ Regi

contra virum optimum; & eruditionis laude præstantissimum, Petrum à Soto, scriptum, in cuius Præfatione Nuntium Apostolicum hæreticis consilijs omnibus summa fide ac vigilãtia occurrentem, omnibus maledictorũ notis, & calumnijs, multo etiam maiore impudentia quam olim Auxentius Hæreticus Ambrosium illum sanctissimum Episcopum lacerabat, ac ad disputationem de fidei capitibus in eo libro contentis, homo vt lenissime dicã, bipedũ omniũ nequissimus, Regia Maiestate iudice interueniente, prouocabat, Regniq; senatores, & nobilitatẽ vniuersã ad defectionẽ à religione, vehemẽtissima oratione incẽdebat. Quẽ librũ & quę ex illius lectione secutura videbãtur incõmoda, cùm Hosius accepisset, ipse quoque ad parandam tempestiue medicinam se accinxit: ac pene prius etiam omnibus eius argumentis respondit, quam illa pestis Brentiana, per multorum manus peruagari potuisset, qui & ipse liber Hosij doctissimorum virorum sententijs approbatus, magnos in Ecclesia Dei fructus peperit, de quo sic alicubi scripsit vir doctissimus & omnibus pietatis artibus instructissimus, strenuus Ecclesiæ Dei cõtra omnes inferorum portas propugnator, & vtilissimus Iesu Christi seruus Petrus Canisius, S. Societatis Iesus Theologus. Habet, ait ille, ætas quoque nostra (Christo gratia) suum Hosium, ac quãto rectius causa religionis haberet, quantoque com-

commodius & impietas disijci, & pietas orbi restitui posset, si multos id genus Hosios hæc ætas ferret, nimirum qui in pascendo seruãdoque grege Dominico, qui in arcendis lupis, & in conuertendis hæreticis, non dissimili vigilantia parique doctrina, copia grauitate, sinceritate, & fide præstare, seq; muros pro domo Dei aduersus Philistæos istos opponere possent & vellent.

CAPVT XXI.

AD omnia ferè terrarum Prussiæ Comitia proficiscebatur, non tam vt negotiis sæcularibus interesset, sed vt ne quid detrimenti religio Christiana acciperet prouideret. Quocunque autem veniebat, quodcunque loquebatur, de Deo, de religione, sicut de Bernardo quoque memoratur, silere non poterat, & agere quæ Dei sunt, non cessabat: quo zelo, quo studio qua contentione, qua diligentia, in ijs Ecclesiasticis eius Actis & gestis videre quisq; potest, in quibus ea quæ in Comitijs Torunensibus, Elbingensibus, Marieburgensibus, Grandentinis, quæ priuatim etiam cum suis Braunsbergensibus, tractauit de religione, in eumque finem conscripsit, vt sanctæ sedi Apostolicæ, morbos hominum aperiret, atque ad salutaria adhibenda remedia vias & rationes ostenderet: tum vt Serenissimus quoque Poloniæ Rex

& ij qui cum potestate versabantur, animaduerterent, quod futurũ præuidebat ille quoq. Lutheri fidelissimus landknechtonus Philippus Melanthon, motis semel in religione rebus, rẽ ad Anarchiam euadere, vt arbitratu quisque suo, sicut Ecclesiasticas sic polyticas leges, figat vel refigat, & iuxta Christi patriæque statuta malis omnibus tempestiue occurrant: in eo quoque S. illum Christi martyrem Cyprianum imitatus, qui suas cum Gentilibus & hæreticis contentiones, Clero suo Carthaginensi perscribebat, vt alij quidem in fide confirmarentur, alij imitarentur, & Sanctissimi quoque Doctoris Augustini, quem sua cum Fœlice, & Emerito, alijsque hæreticis gesta, diligenter & fideliter ad posteritatis memoriam & exemplũ descripsisse legimus. A mensa quoque sua & congressu, venientes hæreticos & schismaticos prohibere non solebat, sed eorum consuetudine, vt olim Proclus Constantinus Episcopus ad ipsorum emendationem vtebatur, atque ad omnes occasiones erat intentus, quibus posset hæreticarum fabularum vanitates, omnium mortalium oculis subijcere, & in summum odium atque cõtemptum, tanquam pestes omnium nocentissimas adducere. Neq. certe pauci sunt ex eius familiari sermone ad mentem meliorem reuocati. Plurimi quoque ea lectione quæ refectionis tempore habebatur admoniti nonnunquam etiam fracti, seriam de salu-

te sua cogitationem susceperunt. Dux aliquan do Mechelburgen. ad Hosij mensam Quadra gesimali tempore assidebat. Legebantur à Rescio, plane aurei de laudibus ieiunij B. Chrysostomi Sermones, quorũ eximia suauitate Princeps Lutheranus, qui nunquàm quicquã præter Lutheri sui, totius abstinentiæ hostis acerrimi, scripta degustauerat, tantum fuit delinitus, vt fassus fuerit in omni vita sua, nunquã quicquam, de tantis ieiunij commodis & vtilitatibus audiuisse, sed Papistica commenta reputasse, omnes ieiunij dierumq. obseruationes: deinceps autem maiore in honore virtutem abstinẽtiæ habiturũ. Nonnulla quoque in eodẽ Chrysostomi libro ipsemet legit, seque nunquã existimasse testatus est, quod veterum Doctorum lectio tantis vtilitatibus abundaret. Si, inquit, hanc lectionem initio Quadragesimæ audiuissem, fortè & ego ab vsu carnium abstinuissem. Venerat quoque exaula Regia vir quidam vino & potationibus deditus, inciditque in illum ipsum diem, quo eiusdem S. Patris de ebrietate lectio habebatur, quam cum audiret, totus rubore perfundebatur, existimans sermonem illum data opera contra se fuisse institutum, ac quæstus etiam est, quod Episcopus vitia sua publice potius, quàm priuatim, emendanda suscepisset, cum scriptura præcipiat; vt prius inter te & ipsum, vitia proximi corrigantur. Quamuis cum illi ostensum per nos fuisset, non illius no

40

tandi gratia lectionem illam fuisse institutam, cuius nobis mores & vitæ ratio, esset penitus incognita, sed quod ordo lectionis in illum ipsum diem incidisset; nec sua causa homiliā, sed se homiliæ causa ad eū diē reseruatū fuisse, vt quod in Ecclesia fortasse noluit vel inuitus in mensa, inter ipsa pocula, ebrietatis incōmoda audire cogeretur, & cauere moneretur. Sic ille vitij turpitudinem, & intelligere & cauere cœpit. Possemus & alios recensere nominatim nisi honori optimorum virorum parcēdum putaremus, qui suos errores ex familiaribus Hosij colloquijs, & domestica consuetudine, magis etiam quam ex publicis concionibus, quæ in templis habebantur, agnouerūt, & etiam reliquerunt. Iusserat aliquando Fratris Ioannis Nasi Centurias in præsentia quorundam Lutheranorum legi, in quibus eorum mendacia contra Ecclesiam, & Ecclesiasticos viros conficta persequitur ac refutat, qui se Euangelicos vocari malunt, reiecto veteri & vsu recepto Christianorum nomine. Tantum illi fuerunt magistrorum preceptorumque suorum improbitate, & impudentia propter effrenatam maledicendi, calumnijsque omnibus Catholicos oppugnandi cupiditatem, quibus omnia eorū dicta, & scripta aspersa notataque sunt, conteriti, vt de vera fide; religioneque inuestiganda seriam cogitationem susceperint, ac omnibus postea sectis nuntium remiserint. Quibus exē-

plis doctus Hosius non putauit à sua consuetudine atque cōgressu, omnes qui se sectis dediderunt, & eos præsertim, qui nondum essent Apostolica censura reprobati, prorsus esse remouendos.

Capvt XXII.

QVAMVIS & hoc quoque præstare nō dubitauit, cùm id temporis, & personarum ratio postulare videbatur, ac omnia sese inferiora ducere Christi religionisq; causa declarauit. Constitutum erat omnium ordinum Regni consensu, in Comitijs Petricouiensibus, vt si quis absente à Regno suo Rege, qui tum contra Moschorum Principem, perpetuum hostem Polonici nominis, expeditionem suscepturus erat, nouam aliquam in religione rationem suscitare, aut Ecclesias, cæteraque loca sacra, & religiosa, prophana facere vellet, hostis patriæ haberetur, & omnibus pœnis, Regni statutis compræhensis, subijceretur. Ecce autem nonnullæ primariæ in Prussia ciuitates, cum earum magistratus ad res nouas animum adiecisset, Lutheri præceptoris sui doctrinam secutus, modo non illa ipsa verba de Comitiorum Generalium, quæ Lutherus de Conciliorum Oecumen: decretis, non tam verbis pronunciauit, quam re & veritate compleuit. Nam in despectum Comitiorum, in despectum Regiæ Maie-

Maiestatis, in Ecclesias Catholicorum, in quibus per 300. prope annos Christiano ritu Christus semper colebatur, veteribus per summam audaciam reprobatis, Sacerdotibus eiectis, nouos non Dei, sed Diaboli verbi, quod per electum vas suum Lutherum Apostatam, in lucẽ produxit, magistros & ministros introduxerũt, & noua fecerunt omnia. Quæ res cum acerbissimum doloris sensum Hosio, antiquitatis propugnatori acerrimo attulisset, accidit vt in Comitijs terrarum Prussię particularibus, illarum ciuitatum Burgimagistri, pro veteri, consuetudine Hosium Episcopum, consilij præsidentẽ, manu pro more patriæ porrecta, salutare vellent. Sed Hosius alios ne admittere quidem in conspectum suum voluit; Elbingensium autem Burgimagistris, sicut olim B. Donstanus Archiepiscopus Cantuariensis Edredo Regi Angliæ, propter violatam Monialem fecisse memoratur, manus porrigentibus, manum ipse suam subtraxit, nec ab illis eam contingi passus est: cum indignum esse duceret, manum quæ veritatis magistrum, & vnitatis authorem Christum Iesum Seruatorem nostrum, in altari imolabat, in signum pacis & vnitatis, veritatis hostibus, & vnitatis dissipatoribus, porrigere: & generali præterea Comitiorum decreto, constitutum esse meminisset, vt pro hoste patriæ haberetur, quicunque aliquid in religione nouare ausus esset: qua de re cum in Actis Elbingensi-

bingensibus copiose scriptum habeatur, nolumus hoc loco sermonem producere longiorẽ. Iam & illud vere Christianæ libertatis exemplum, in quo prædicationis loco ponemus? Sparserat Vergierius apostata ac persuaserat etiam nonnullis, cum ex equestri, tum ex Senatorio quoque ordine, quod Pontifex Paulus IIII. nullius rei minore, quam religionis cura tãgeretur, quod quid vis potius aliud, quã eaquę sunt propria sui muneris curaret, & quod nil esset in eo ad componẽda religionis dissidia spei collocandum. Quamobrem congregarent ipsi nationale Concilium, ac ibi de communi omnium voluntate, quod esset verbo Dei consentaneum, id statuerent. Quibus consilijs impurissimi hominis etsi itum esset obuiam, & calumniæ in optimum Pontificem iactatæ, cum à cæteris Regni Episcopis, tum præcipue ab Hosio S.Sedis Apostolicę defensore feruentissimo, & ab ipso quoque Nuntio Apostolico Lypomano fuerunt refutatæ, non potuit tamẽ zelantissimus Episcopus vim desiderij cohibere, quin in ipsam quoque vrbem, etiam si sciret eiusmodi licentiam, libertatemque dicẽdi, ad patiendum & tolerandum, esse quandoque difficilem, ad optimum illum & integerrimum Cardinalem Puteum in hæc verba scriberet: Spargitur in vulgus, ab impijs hęreticis magno Catholicorum dolore, neque mediocri totius Ecclesiæ detrimento, non alia in re, curas, cogi-

tatio-

cationesq. Sanctitatis eius consumi, quã in augendis, quacunque tandem ratione suis. Prae vnius huius rei studio, sanctitatem illius omnia pro nihilo ducere: tum quem sequestrum pacis inter Christianos Principes esse oportebat, eum facem bellorum existere, ac ad Regem Galliæ misisse, vt pacem constitutã violaret, Vera sint hæc an falsa, nos hic scire non possumus, sed magnos tamen ea motus animorum in vulgo facere certum est. Vtinam autem hanc S.D.N. mentem Deus inspiret, vt Pontificem potius agere velit, quam Imperatorem: & positis armis, de constituẽda religione, deque ratione', qua possit obuiã ijs veniri, qui nouatã vel euersam potius illã cupiunt, deliberationem suscipiat, atque ad nos quoque tuendos animum adijciat. &c. Inepte fortasse ista scribo, qui neque meæ neque illius ad quem scribo, vel de quo scribo, personæ meminisse satis videor, sed ex optimo animo, & Ecclesiæ tranquillandæ cupidissimo, scripta hęc mea proficisci, qui solus est agnitor cordis humani Deus, mihi testis esse potest. In quo Hosij sermone manifeste possumus agnoscere, verum illud esse quod scribit Bernardus: Dolor nimius non deliberat, non verecundatur, nõ consulit rationẽ, nõ metuit dignitatis damnũ, legi non obtẽperat, iudicio non acquiescit, modum ignorat & ordinem: id omnimodó & solũmodo satagente animo, quo vel careat, quod se do-

let

let habere, vel habeat, quo se dolet carere. Calumniæ vero in optimum Pont. iactatæ rebus deinceps per Pontificem gestis sunt refutatæ.

CAPVT XXIII.

ECce autem paruo interiecto tempore idē Paulus IIII Pont. Maximus, siue hac ipsa epistola, plena Euangelicæ libertatis motus, siue nominis & famæ celebritate (neque enim in tenebris & in obscuritate non minus ac iste sol, Hosij pro Ecclesia Catholica studia & contentiones latitare potuerunt) siue etiam eruditionis opinione, quæ in omnibus eius scriptis elucebat, excitatus; vel, vt illud impleretur, quod de viro sapiente Ecclesiasticus memorat; In medio magnatum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit: in terram alienigenarum gentium pertransiet, bona enim, & mala tētabit: cùm laboranti Ecclesiæ maxime necessaria remedia adhibere, mores corrigere, atq; omnia quæ prauis iampridē exemplis, in cōsuetudinē adducta fuerūt tollere, & hereses tam longe lateque disseminatas extirpare, & harum rerum causa Concilium celebrare, Deo iuuante statuisset, vt hominum voculas & hæreticorum calumnias, atque mendacia, rē & veritate confutaret, optimum esse duxit (hæc enim sunt Epistolæ pontificiæ ad Hosium verba) aliquot venerabilium fratrum suorum, ad vrbem accersere, quorum cōsilium & operam

ad eadem exequenda sibi vtilia fore arbitrabatur, ac inter cæteros, de Hosio quoque nostro merito ita sentiret, vt præsentiam illius in vrbe maximo ad has res vsui sibi fore cõsideret, propter eximiam, sicut ait doctrinam, & pietatem illius, ac rerum illius regni peritiam, ternis eum litteris, in Vrbem vt veniret, in virtute sanctæ obedientia præcipiẽdo, ex intima Polonia euocauit. Hosius autem Pontificis vocem tanquã Dei loquentis vocem audiens, nulla valetudinis imbecillę, nulla sumptuum ac temporis, ad iter faciendum minime omniũ opportuni (Iulius enim mensis agebatur) ratione habita, cum obediẽtiam cæcam esse debere, à Bernardo didicisset, maximis itineribus Romã, vltima mensis Augusti, peruenit. Acceptus est à Pontifice humanissime, qui in primo illo congressu, per tres continuas horas, sermonem de pace Ecclesiæ Dei restituenda, ac de tempestatibus religionis cõponendis, elegantissime & sapientissime (hãc enim illi laudem ab Hosio attributam audiuimus) produxit: cui vicissim in omnibus suis cõsilijs & colloquijs pietatẽ suã & prudẽtiã, & iudicij maturitatem, magis atque magis Hosius cõprobauit, ita vt corã Episcopo Veronensi Lypomano, qui tum ex Polonia redierat, de Hosij laudibus, modo non illa ipsa Sabæ Reginæ verba memoraret; Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus eius & super sapientia eius. Sit Dominus

Deus

Deus benedictus, qui suscitat viros potentes, verbo & opere, ad ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia. Postulauit etiam ab Hosio, vt quæ coram de vniuerso religionis negocio sapientissime disseruerat, ea scriptis compræhensa traderet, memoriæ causa, Quod etiam fecit Hosius, non minore prudentia in consulendo, quam eloquentia in scribendo, & modestia vsus, in quo plenum pectus Christianæ pietatis, & dignam speculatore vigilantiam, & consilij abundantiam Christi Vicario ita comprobauit, vt eum amplissimis ornamentis dignissimum iudicaret; ac in numerum etiam S. R. E. Cardinalium cooptare decerneret; ac cooptasset etiam, si Hosius ad accipiendum honorem, animum adijcere voluisset: quem tantum abest, vt appeteret, vt etiam, cum ab ipso Pontifice de suscepto consilio cognouisset, ad genua Sanctitatis suæ prouolutus, supplex ab eo postularet, vt quiduis potius aliud, quam hoc imperare dignaretur, nec existimationem suã, qua nihil haberet in omnibus rebus, quas iste sol aspicit charius, in periculum adduceret apud eos, qui omnia ambitionis causa faciunt. Se quidem vitam omnem, rem, & fortunas pro Ecclesia Dei, & S. Sedis Apostolicæ dignitate paratum esse omnibus periculis exponere, nec vllam vim tantam esse posse, quæ tuendæ religionis consilium labefactare posset. Sed cùm intelligat maiore cum fructu, religionis Christianæ,

stianæ,in illis præsertim septentrionalibus partibus commodare posse, in ea qua fungebatur Episcopali dignitate,posteaquã in omnia facta & consilia sua coniectos oculos habere viuerentur hæretici , & semper occasiones omnes aucupentur,vt vel mordeãt, vel saltem admurmurent,cupere se aditum huic quoque calumniæ obstruere, ne huius dignitatis gratia,vel hęreticos oppugnasse, vel iter in vrbem suscepisse putaretur . Quamobrẽ iterum atque iterum supplicauit, vt Sanctitas sua existimationis suę maximam & præcipuam rationem habere dignaretur. Admiratus est Põtifex Hosij Episcopi constantiam , vel vt ipse vocabat , obstinationem ; cum præsertim in Vrbe eius generis exempla,ita raro extiterint, vt si quando auditum sit,prodigij simile censeretur. Sed cum eũ verborum lenitate inclinare nõ posset,cũ quadam animi commotiuncula,frontis & oculorum asperitatem adhibuit, mirarique se respondit, quod voluntatem tam propensam Romani Pontificis floccifaceret,honoriq; suo labem ex ea aliquam , aut maculam aspergi posse existimaret , ac in ista animi inductione , atque voluntate pertinacius hæreret , & Christi vicarij voluntati , propter amorem sententiæ suæ repugnare non dubitaret, quod eorum esse proprium meminerat , quos in omnibus vitæ consilijs & libris,& sententijs oppugnandos susceperat : nullam labem , nullam maculam

culam ex eo aspergi cuiquam posse, si legitimę vocationi obtēperet, ac ab honore potius quęratur, quam ipse quærat honorem. Dignitatē hanc deberi, animis affectis virtutibus, non vitijs, non inertijs, sed artibus; & esse laborum & periculorum præmium, non incitamentum, non instrumentum ocij, & delitiarum illecebram, sed ingenij & industriæ, & sudorum, vigiliarum & contentionum fructus, vt ex ea nō ignominiam vllam, sed auctoritatis & existimationis, non diminutionem, sed accessionem expectare debeat. Tu vero, ait, vt videmus, maioris hæreticorum studia, quàm nostram gratiam facere videris. Ibi iterum ad genua prouolutus Hosius, procul hoc ab animo suo, procul ab ingenio, procul à cogitatione, procul ab omnibus ante actæ vitæ studijs abesse testatus est, vt voluntati Christi Vicarij, & illius beneuolentię quidquam ex omnibus rebus humanis esse anteponendum iudicaret, cui quicunque non esset dicto audiens, eum non esse Catholicum reputare didicisset, ac etiam docuisset, ac cum Hieronymo lubens fateretur; salutem Ecclesiæ, à summi sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficerentur Schismata, quot sacerdotes. Cœpit deinde cum hæreticorum voculas, quas de sua in Vrbem profectione spargebāt, & in suis conuenticulis calumniosissime traducebant, tū

de Regni Poloniæ statutis, de Regia voluntate, de dignitatis amplitudine, de sua paruitate, cuius causa tanto muneri ferendo idoneus non esset, multa recensere: quibus conatus est Pontificis animum ad mitiorē sententiā impellere. Sed aliud responsum obtinere tum non potuit, quā hoc, nō est tibi vllum ab vllo Rege periculū expectandum. Non potuit in Vrbe omniū, sicut ille ait, gnara & nihil reticente, domesticis parietibus Pontificis & Hosij colloquium occultari, sed in ipsam etiam Poloniā eius rei fama aduolauit, eundo tamen maiores vires acquisiuit. Spargebatur enim initio, quòd Pontifex Hosium Episcopum, inobedientiæ crimine condemnatum, à suo conspectu indignabūdus repulerit: addebant alij quod etiam compræhensum in custodiam tradiderit. Quo nuncio quamuis incertis auctoribus perlato, Sigismundus Rex perculsus mittere in Vrbem decreuerat, qui negocium Hosij cū Pontifice trāsigeret. & extant litteræ, vere magni illius Regni Cancellarij Ioannis Oczieski, quibus casum Hosij deplorabat, ac si res ita postularet, in ipsam etiam Vrbem accurrere, ac omnia tētare velle, paratum se ostendebat, etiamsi certum aliquod vitæ descrimen sibi adeundum foret, vt Hosium innocentem ex omnibus periculis eximeret. Cæterum re tota vt erat, patefacta, magnam vtrique in Orbe Christiano laudem ea contentio comparauit; Pontifici quod

optimo

optimo iudicio vſus, virum optime de Eccleſia meritum, tanta contentione, tantoque ſtudio ornandum ſuſceperat: Hoſio quod hominum voculas re & veritate refutauit, quem ad honorum ſtudium, non iſta populari ambitione, ſed illa pernicioſa & legibus repugnante, homines intemperantiſſimi & ambitione perditi, abripi inuidioſiſſime criminabantur. Qua de re post annos aliquot ita ſcripſit, qui tum erat iſtius in Vrbe Regni protector, Cardinalis Puteus ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem; vir totius pietatis, & optimarum artium non ſolum amicus, ſed etiam amator; Cùm primũ Summo Pontifici Pio IIII. Eccleſiæ vniuerſæ cura commiſſa eſt, nil prius aut antiquius viſum eſt, quam vt ad conuocandam Synodum Chriſtianorum Principum animos accenderet, atque ad eam rem perficiendam, Hoſium legatum ad Cæſarem mitteret, cuius optima fide & induſtria, ſperauit pijſſimi principis ſtudium, & voluntatem, ad tantam rem aggrediẽdam facile ſibi adiunctum iri. In ea igitur legatione, egregiam operam Eccleſiæ Dei nauantem, Hoſium ſummus Pontifex in Cardinaliũ Collegium, vniuerſo Senatu approbante adlegit. Eum autem gradum tantum abeſt; vt nunquam ambiuerit Hoſius, vt me deprecatore aliquando apud Paulum IIII. Pontificẽ ſit vſus, ne in noſtrum ordinẽ adſcriberetur. Quæ ego vt geſta ſunt, volui Maieſtati tuæ commemo-

rare, vt plane intelligeret, nil cupiuisse vehementius, nil postulasse, atque etiam efflagitasse ardentius Hosium, quam vt ipsi ad Ecclesiam suam curandam redeundi facultas aliquando concederetur. Et amplissimus quoque Cardinalis Sirletus, vir pietatis, & doctrinæ laudibus cumulatissimus, qui assiduo studio & lectione, pectus suum bibliothecam Christi effecit, in suis ad Hosium litteris, cum illi munus Maioris Poenitentiarij gratularetur, id ipsum his verbis confirmat: Scio quã vehemẽter sanctæ memoriæ Paulo IIII. Põtifici te ad Cardinalatum inuitanti, ac prope indignanti restiteris. Effugisti Pauli IIII. manus, sed eius successoris μᾶλλον δὲ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ χεῖρας ἐκφυγεῖν οὐκ ἐδυνήθεις quemadmodum illud magna cum Dei gloria & Ecclesiæ ipsius vtilitate factum, atque in dies magis magisque cernimus fieri, ita & hoc fiet συνεργοῦντος τοῦ ἰησοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Immo vero & hoc etiam ex eodem Cardinale audiuimus, quod idem Paulus IIII. Pontifex sapientissimus, cũ Hosium de sanandis Reipub. Christianæ vulneribus differentem audiuisset, cum eius consilia prudentiæ maturitatisque plena ex intimo zelo proficisci perspexisset, coram plerisque S.R.E. Cardinalibus his verbis vti non dubitauit; quòd postea quam Hosium cognouisset, cæteros omnes sui temporis viros admirabiles, admirari desijsset.

Capvt XXIIII.

OBdormivit interim in Domino Paulus IIII. & in eius locum est suffectus Pius 4. Is quoque in Hosium Episcopum, quē semel tantum viderat, sed non semel pietatem illius, & eruditionis præstantiam, intelligentiū virorum sententijs commendatam audiuerat, singulari voluntatis suæ inclinatione, cœpit propendere: nec vlla mora interposita, Nuntium suum ad Imperatorem Ferdinandum, & Maximilianum Bohemiæ Regem designauit, Concilij congregandi causa. Quod munus etsi fuisset initio constantissime deprecatus, cedere tamen ad extremum coactus est Pontificis obfirmatissimæ voluntati, qui inter multos alios sermones, quos cum Hosio de pace Ecclesiæ Dei, de ratione extirpandarum hæresum, de omnibus remedijs iuuandæ religionis habuit, in conclaui paulo ante cum esset, aliquot inter se Cardinales collocutos esse memorabat, vt quicunque factus esset Pontifex, Hosium Episcopum, Concilij cōgregandi causa, Nuntium in Germaniam mitteret. Suscepto itaque legationis munere Hosius, orationibus & eleemosynis, ante omnia se muniendum existimauit, vt sapientia quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, veniret ad docendum se viam prudentiæ, & ea consilia

ſuggereret, quæ eſſent ad ſalutem Chriſtianæ Reipublicæ conſtituendam conſentanea. Cum Viennã perueniſſet ſuſceptus eſt ab Imperatore Ferdinando humaniſſimè. Ad quem cũ Pontificis nomine de Catholicæ religionis veritate, de hæreticarum fabularum vanitate, de Eccleſiæ auctoritate, de Pontificis ſtudio, de Imperatoris officio, de Regnorum, & Rerumpub. excidijs atque ruinis, de omnibus rebus ad interitum inclinatis, deque remedijs admouendis, & ornate & copioſe, ſemotis arbitris verba feciſſet, ſicut in exemplo eiuſdem ſermonis vidimus, ſumma cum attentione audiebat omnia pius Imperator, ita vt ex ore dicentis pendere videretur. Et cum ſermonem inſtitutum abſoluiſſet, Imperator, velut alter Conſtantinus, qui ſe Athanaſium vt Virum Dei allocutum eſſe, ad Alexandrinos ſcribens gloriatur, è ſua cathedra ſurgens, atque in caput Hoſij incumbens; Gratia, inquit, ſpiritus Sancti vobiſcũ eſt, Spiritum Domini labia veſtra mouentẽ video. Vera ſunt omnia quæ dicitis, & ita credo, & ſentio, vt dicitis, ac ita prorupit in lachrymas, & aliquandiu vocẽ continuit. Cũ ſe recollegiſſet, dixit ſemel tãtum ſe vxore ſua mortua fleuiſſe, ex eo tempore, non vidiſſe quenquã ſe flẽtem, nil ſibi in vita acerbius accidiſſe, quam quod poſt magnos labores ſuos, poſt adhibitum omne à ſe ſtudium, in ſubditis Imperij ſui in fide Eccleſiæ Catholicæ continendis, quod
nil

nil tamen profecisse videretur. Sed orate, ait, pro me Dominum, vt nobis det posse quod volumus, & istis vestris salutaribus consilijs iuuare nos non desinite.

Capvt XXV.

COEPIT igitur Hosius tota animi, ingenij, viriumque contentione, de congregando Concilio laborare, cuius tamen studij exitum propter Fauserum antichristi ministrũ Lutheranæ doctrinæ buccinatorem importunissimum, qui Viennensem populum falsa doctrina imbuere contendebat, valde fore difficilẽ iudicabat. Quamobrem de eo, cum de Principum gratia, tum de Ciuitate amouendo cœpit laborare. qua animi fortitudine, quibus vigilijs, longum esset omnia recensere, & nõ pauci Fauseri patroni eadẽ essent ratione perstringendi. Perfectum autem ad extremum est, vt Fauserus Vienna discedere iuberetur, & Hosij consilia faciliores deinceps progressus & exitus acciperent. Quos cum Cæsare, quos cũ eius filio Maximiliano Boemiæ Rege, sermones habuerit, quibus artibus & consilijs vtriusque animum ad opprimendos hæreticorum nefarios conatus, & furiosos illorũ impetus, à Catholicorum iugulis amouendos incenderit, ex Actis legationis Germanicę peti potest, quę viri quidã Princepes, religionis Catholicę ama-

tores, vt in perpetuis tenebris deliteſcerent in dignißima, dignißima autem eſſe putauerunt, quę in lucem hominum, ad multorum ędificationem ederentur. Multos ibi quoque hæretices, cum exemplis innocentißimæ vitæ, tum grauißimis & vtilißimis ſermonibus, & ſcientia ſcripturarum, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reuocauit, tantumque ſui amorem ſuauißimis ſuis moribus, & dulcißima conſuetudine, & ſumma hoſpitalitate ac liberalitate in omnium animis concitauit, vt non minus hæretici quàm Catholici, tantum illius pro religione ſtudium, tantam in Eccleſia propugnanda contentionem, tantos pro omnium ſalute conatus, tanquam vnius ex antiquis patribus è cælo delapſi viri ſuſpicerent & admirarentur. Acceßit ad eum aliquando vnus ex miniſtris Cæſareæ potentiæ vir nobilißimus, qui ſibi catus & prudens in ſua perfidia videbatur. Multa Lutheri argumēta produxit in medium, quibus adductum ſe dicebat, vt Catholicę Eccleſiæ nuntium remitteret: quæ cum ab Hoſio ex ſcripturis, & Eccleſiæ traditionibus eſſent refutata, ille vicißim pro veteri omnium hæreticorum conſuetudine, mores & vitam eorum, qui vocantur Eccleſiaſtici cœpit lacerare, quod ab eorum, quorum ſe loca tenere gloriantur, ſanctitate & innocentia quam longißimè diſceſſiſſent, quod non omnia ſicut Apoſtoli fecerūt reliquiſſent, quod opibus, bonis, fortunis, di-

uitijs,

uitijs, castris, villis, oppidis, Ciuitatibus, omni gloria, & honore abundarent. Itaque reipsa potius, quam verbis Apostolorum successores esse se ostenderent, & nuncio splendoribus istis terrenis remisso, nudi & inopes, nudum & inopem Christum sequerentur. Ad hæc Hosius respondit; optare se, vt ei quam profitentur doctrinæ, vita Catholicorum per omnia responderet. Sed si vultis, inquit, vt nos Ecclesiastici per omnia simus, sicut Apostoli, estote vos sæculares, sicut Apostolorum tempore, per omnia, sæculares fuerunt Christiani. Quid illi faciebant? Quot quot, ait scriptura, possessores agrorum & domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Facite vos id ipsum, & bonorum vestrorum procurationem & dispẽsationem Ecclesiasticis relinquite; tum à nobis quoque, vt bona ista quæ tenemus, relinquamus exigite. Si quando expedire visum est, vt Ecclesiastici viri, externis istis opibus abundarent, & cæteris splendoribus vterentur, hoc tempore maximè expedit, quo extinctam ferè charitatem in mortalium animis intuemur. Neque enim vllum fortasse vestigium religionis Catholicæ in Germania hoc tempore appareret, nisi eam

Ecclesia-

Ecclesiastici viri, in subiectis sibi Ciuitatibus & oppidis pro sua potentia, inuitis inferorum portis, retinerent. Quomodo autem victum & amictum ab his expectaremus, qui ne hocquidem nobis relinquere vultis, quod maiorum vestrorum pietate, & liberalitate consecuti sumus? Ad hæc nil aliud ille nobilis, quàm, video, ait, quod etiam nostra paterna & hæreditaria bona, iure diuino ad vos pertinere putatis. Itaque expedit, vt nos vobis vestra, vos nobis nostra relinquatis. Scripsit ibi quoq; nonnullas conciones Hosius, ad præsentem aulæ Cæsareæ, ciuitatisque statum accõmodatas: quas Concionatoribus Catholicis, & præsertim Patri Cytardo ordinis. S. Dominici religioso, viro eloquentissimo, ex superiori loco prædicandas offerebat. Quos de religione suspectos habebat, notos & amicos ad eas inuitabat, plerosque etiam semotis arbitris, de fidei negotijs in spiritu lenitatis instruebat, fraudes, imposturas, errores hæreticorum ex litteris & libris, qui subinde noui in lucem hominũ proferebantur, & ex historijs recensebat, conuitiorum plaustra, maledictorum aceruos, vniuersæ doctrinæ turpitudinem, in mensa, in cubiculo, in omni consuetudine, ex omni occasione in medium proferebat, libros Catholicos intelligentioribus donabat. In summa nullum Christianæ pietatis officium, nullum prudentis viri consilium, nullum accurati seruitoris ministe-

niste-

nisterium, nullum vigilantis episcopi studium, nullum diligentis Nuntij munus prætermissum ab Hosio est, quod non tentandum & exequendum susciperet. Quo factum est, vt indies, & hæreticorum ad Ecclesiam, & Catholicam ad templa, ad diuina officia frequentanda, cæteraque pietatis studia obeunda, maior accessio consequeretur: & sæpe concurrisse vidimus innumeros qui ex Hosij præcipue manibus, sicut olim ex manibus Euthicij sanctissimi Patriarchæ, sacratissimam Corporis Dominici cōmunionem accipere desiderabant. Omnes in vniuersum aditum, sermonē, congressum eius expetebant. Perfecit autem ad extremum, posteaquam infinitas prope molestias deuorasset, & non paucas difficultates, consilij sui abūdantia, & summa animi moderatione superasset, vt in Concilium Oecumenicum in Ciuitate Tridentina prosequendum (nā de hoc quoque uerbo summa contentione laboratum est) Cæsarea Maiestas, Serenissimus Bohemiæ Rex Maximilianus; reliqui Principes Austriaci, & Imperij electores Ecclesiastici consentirent, ac suos ad ilud Oratores designarent: etiamsi conatus eius ij præcipue Principes impedirent, qui se ad illorum imitationem, de quibus in Paralip. legimus, quod missos à Domino Prophetas protestantes audire nolebant, ipsi quoque Protestantes, id est Domino repugnantes, uocauerunt.

DE

DE VITA HOSII
LIBER SECVNDVS
CAPVT I.


VM Hosius apud Cęsarem pro Ecclesiæ Dei incolumitate, Pōtifex in Vrbe pro Hosij dignitate laborabat. Nam 4. Kalen. Martij nihil minus expectantē approbante uniuerso Collegio S.R.E. Cardinalem pronunciauit, & per duos suos Cubicularios, Strasoldum & Fidelem, dignitatis insignia, rubeum biretum, & Capellū Viennam usque transmisit. Hosius autem accepta huius rei significatione, quanto maiorē esse eius dignitatis amplitudinem, quanto plus oneris, & difficultatis, & molestiarum, secum trahere uidebat, quanto maiorem curarum, & sollicitudinum molem, tanto sibi diligentiorē de eo suscipiendo deliberationem instituendam esse existimabat. Quamobrem nobis omnibus ex intimo cubiculo exclusis, prostratus in terram ante Christi Crucifixi simulachrum, prope unam horam lacrymabundus orabat, ut ea consilia in animū Dominus suggereret, quę sciret ad gloriam suam, & Ecclesiæ suæ sanctę propagationem pertinere. Per Hospitalia quoque pauperū, & Monasteria religiosorum largiores

giores eleemosynas distribuit, & reliquorum piorum orationibus, se, rationesq; suas diligentissime commendauit. Quamobrem per vnum fere mensem, ne quicquam instantibus Pōtificis Cubicularijs, quid sibi faciendū esset deliberabat: quam eius cunctationem cum cognouisset Ferdinandus Imperator, misit euestigio Georgium Drascouitium, tum Episcopum Quinque Ecclesiensem, nunc Colocensem Archiepiscopum & S.R.E. Cardinalem, virum insigni in Deum pietate & optimis consilijs abundantem, qui suæ Maiestatis verbis, ad oblatam dignitatem suscipiendam admoneret, ac vt moras omnes pręcideret, seque ad obtemperandnm eius voluntati compararet, cui vt obtemperaret orbis Christianus tantopere laborabat. Quod cum nihilominus facere recusaret Hosius, coram etiam his verbis pius Imperator admonuit; Scio tibi mandatum esse in virtute Sanctæ obedientiæ, vt oblatam à Pontifice Cardinalatus dignitatem accipias. An tu non es filius obedientiæ? an eandem à nobis non semper exigis? Quid igitur? Num etiam vtrum Pontifici obedire debeat Hosius dubitabit? Ex ipsa quoque Vrbe Roma nouæ litteræ, noua subinde mandata mittebantur, vt nulla mora interposita, præcisa omni dubitatione, Christi Vicarij voluntati obediret. Idem ab illo plerique Germaniæ Principes, idem Regum oratores, & consilij Cæsarei Senatores,

con-

contendebant. Idem vt faceret ex ipsa quoque Polonia, tum Rex ipse Sigismundus, tum Episcopi, tũ reliqui consiliarij per litteras vrgere, monereque non cessabant. Quorum tandem sententias secutus Hosius, cùm meminisset, vt leuitatis esse, inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falsæ gloriæ consectari, sic leuis esse vicissim & abiecti animi, lucemq; & splendorem fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare, cum hanc etiam vocationem esse plane diuinã iudicaret, post multas lachrymas & intima suspiria, manum ad extremum dedit, humerosque submisit oneri, ac post oblatum Missæ sacrificium, eo ipso die quo Gabriel Archangelus, lætissimum sanctissimæ Virgini nuntium attulit, futurum vt conciperet & pareret Saluatorem, inuocato Dei nomine, ex manibus Archiepiscopi Strigoniensis, insignia Cardinalatus accepit, ac simul etiam ad Pontificem in eam sententiam litteras dedit. Quanto cum onere sit coniunctus honos iste, non adeo sum hebes, vt non intelligam, sed facit præcipientis auctoritas, vt recusare amplius, quod imperatur non audeam. Tuam enim vocem, non hominis, verum Christi per te loquentis vocem esse certo persuasum habeo. Quamobrẽ quiduis imperes, licebit: non aliud responsum à me feres vnquam, quam quod ille dedit, qui dixit, Paratum cor meum, paratum cor meum,

Cor tibi paratum adfero, facultatem ille suppeditet, qui per te mihi præcipere dignatur. Quæ sit horum temporum difficultas video, quibus, quanto quis in locum altiorem ascenderit, tanto manent eum curę, sollicitudines, labores, pericula grauiora. Sed nec hæc ego, neç quid vires meæ possint, verum quid imperet ille, quem per te loqui certum est, & indubitatum, attendendum esse puto. Dabit is parendi vires, qui tibi me parere præcepit. Quamobrem si propterea mihi purpureum hoc honoris insigne mittendum esse duxisti vt admonitus eo, pro Dei religione, proque fide Catholica non modo nullum laborem recusem, nullumque certamen detrectem, verum & sanguinem ipsum si sit vsus, vna cum vita profundere nil dubitem, Paratum cor meum, paratum cor meum. Vtinam autem, hoc me tanto Deus honore dignaretur, vt Ecclesiæ tã grauiter afflictæ salutem, vel morte mea repræsentare possem. Quid me felicius? quid me fieri posset beatius? Mihi vero non vnius sed mille mortiũ instar est, quod miserandum in modum, sic eam à sæuissimis lupis laceratam, & ex illa tot esse particulas factas video. Vellem vt in mei corporis membra sæuirent, & ea lacerarent potius, dum modo per hunc modum pristinæ possit integritati restitui corpus illud mysticũ, pro quo verum, & viuum ille suum corpus in mortem tradidit. Ad omnes quamlibet graues

labores

labores tolerandos, ad durissima quæque certamina perferenda, ad mortem etiam oppetendam, pro Christi religione, pro Ecclesiæ tranquillitate, pro S. Sedis Apostolicæ dignitate, paratum cor meum, paratum cor meũ: neque dubito, quin, qui dedit cor paratum, idẽ quoties vsus fuerit, vires etiam sit suffecturus, ad hæc omnia summa cum alacritate, pro sui nominis gloria, sustinenda.

Capvt II.

VIX duo postea menses abierunt, cum illum iterum Pont. memor illius quod scriptum est, legatus fidelis sanitas; ex omnium S. R. E. Cardinalium communi sententia & approbatione, suum & S. Sedis Apostolicæ ad concilium Tridentinum, de latere Legatum pronunciauit, ac Tridentum statim vt Cæsar suos Oratores misisset, ipse quoque ad obeunda Legati Apostolici munera vt se conferret, mandauit. Vicissim autem Hosius, Cæsarem orare, obsecrare, monere, urgere non destitit, tum & alios quoque Principes, litteris precibusque suis, sine vlla studij remissione, vehementissime sollicitauit, vt ipsi quoque suos Oratores, omni seposita cunctatione, Tridentum versus ablegarent. Cum autem illi à magno quodam Principe terrores quidam obijcerentur, quasi essent Concilij progressum impedituri,

pedituri, Proteſtātes. Ita ne, ait, nutu Proteſtantium Chriſto rebellium, regi debet Orbis? Non puto hoc Deum eſſe permiſſurum. Si volunt Concilium, ita vt eos reuera velle video, Cæſarea Maieſtas, Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Portugallię, Reges, & quotquot ſunt alij Principes Chriſtiani, qui priſcam illam maiorum noſtrorum fidem, quæ Catholica vocatur colunt; non tanti erunt Proteſtantes, vt vnanimē iſtorum conſenſum impedire queant. In ſymbolo quod profitemur, non dicimus Credo fidem Proteſtantium, ſed credo ſanctam Eccleſiam Catholicam: quam cum Concilium Oecumenicum repræſentet, illius auctoritati, non Proteſtantium libidini, tribuendam eſſe auctoritatem omnem: tanto minus vnius alicuius hominis, quamlibet is ſibi doctus, cautus, & prudens ſibi videatur, cùm non aliunde natæ ſint tot ſectæ, tam inter ſe diſſectæ, quàm ex Conciliorum contemptu, dum vel ſuo vel iſtorum Proteſtantium, vel vnius alicuius, quem admiratur iudicio, plus aliquis tribuendum cenſet, quam ſenſui & conſenſui Eccleſię vniuerſæ; & ſi vim aliquam adhibere Proteſtantes iſti voluerint, reipſa experiētur, quòd Sacerdotes Dei Euangelium tenentes, & præcepta Dei cuſtodientes, occidi poſſunt, vinci non poſſunt. Quamobrem ſeruis iſta ſuis & delicatis obijcienda meminiſſent. Nos qui per Dei gratiam aſſidua mortis meditatione, mortem non timere diſci-

 mus,

mus,terrores isti non afficient. Nullius rei timor, potest in animum eius ingredi, qui ex animo mortis timorem eiecit.

Capvt III.

TAntvm autem hoc de Concilio studium non solum in Germania adhibuit, verumetiam cùm in Hispania Bullam promulgati Concilij nondum receptam esse cognouisset, eiusmodi litteras ad Nuntium Apostolicum Campegium Maioriceñ. Episcopum dedit; quæ non solum Regis animum in sententiam Pontificis, atque ad recipiendam Concilij Bullam inclinarunt, verumetiam cum multa exempla Regis iussu descripta, & ad Episcopos Regni missa fuissent, omnes vt Tridentum versus in viã se darent effecit. Sigismundo quoque Poloniæ Regi sic inter cætera scripsit: Cũ eorum qui loco primi semper esse contendũt, qui primogeniti, qui Christianissimi, qui Catholici dicuntur, nemo adhuc primus esse voluerit, ad succurrendum ecclesiæ, Dei, & eius tranquillitati prospiciendum, det operam Maiestas vestra, vt hac in re principatum obtineat, nec ipsa quoque esse velit in mora, quominus primo quoque tempore Concilium inchoari possit; nisi quod reuera laudem hanc iam præripuit omnibus serenissimus. Portugaliæ Rex, qui suos Oratores primus omnium Tridẽtum

misit

misit, ita vt mihi propemodum idem nunc euenisse videatur, quod acciderat cum Christus in Bethleem nasceretur. A suis & finitimis negligi visus est, ex vltimis vero terris venerunt Reges qui adorarent eum. Amicos etiam suos in vrbe viros doctissimos & optimos, Sirletum postea factũ Cardinalẽ, Latinum Latiniũ, Faernũ, Pogianum, & alios, rogare, monere, vrgere, obtestari non destitit, vt se ad subleuandas inclinatæ religionis rationes, atque ad commune quasi incendium extinguendum, ad Ciuitatem Tridentinam conferrent. Quæ vos, ait, à Tridentino cælo deterrent, etiam atque etiam videte, ne eadem illa, eodem vos Cælo prohibeant, ad quod nos peruenturos speramus, quotquot pie Christum colimus. Sed vos gaudijs illis, & commoditatibus vrbanis proculdubio perfrui cupitis, molestias autem & labores, & pericula subire detrectatis. At non ita nos scriptura docet. Nemo coronabitur, inquit, nisi qui legitime certauerit. Vos certamen recusatis, in solem & puluerem prodire non vultis. Optarem inesse vobis fidem maiorem, non essetis adeo de corpusculo isto solliciti, nec hanc de potestate diuina conciperetis opinionem, quasi non possit etiam Tridenti vos incolumes seruare. Nõ omnia sunt in cœlo Romano, & in medicorũ artificio posita: etiã absq; illis, qui solus est verus Medicus & vere sanat languores omnes, & corporis & animi conseruare nos potest, si-

ne quo verissimum est illud, quod scripsit Orator ille nobilis; πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος κἂν ἐν οἴκις ὢ τίς αὐτὸν κατείρξας τηρεῖ δεῖ, δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους, ἐλπίδα φέρειν δὲ ὅτι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως. Nosti cætera. Quæ ad Electores Imperij ecclesiasticos, quæ ad Ducem Brunsuicensem, ad Ducem in Prussia, ad Ducem Cleuensem, ad alios multos Principes, & Episcopos scripserit, quo studio, qua sollicitudine omnes ad Concilium congregare voluerit, epistolæ, quas non ita pridem satis multas edidimus loquuntur. Porro cum Vienna discessurus esset Tridentum, conuocatis ad se Cæsaris consiliarijs, & magno illo, & integerrimo Cancellario Zeldio, eos quoque grauissima oratione obtestatus est, vt vniuersas cōcilij rationes, valde sibi vellent habere commendatas: si quæ difficultates vel à Protestantibus vel à quocūque tandem alio obiicerentur, vt eas omni suo consilio & auctoritate amouerent, atque vias etiam inuestigarent, quibus persuaderi possit Germaniæ Principibus & Episcopis, vt ad Concilium venirēt. In summa, vt non solum studiosi, & fautores, huius tam salutaris & necessarij instituti esse vellent, verumetiam amplificatores. Deinde vero vt in ciuitate Viēnensi verbū Lutheri, pro Dei verbo prædicari ne paterentur,

tur, magiſtros & miniſtros verbi Sathanæ, ſi non poſſunt ex omni Cæſaris ditione, ſaltem ab aula, ſaltem ab ijs locis vbi maieſtas eius commoratur faceſſereiuberent, Chriſti cauſam intrepide agerent, ſi vellent, vt Chriſti quoque dextera, hoc, quod gubernandum ſuſceperant, imperium defenderet. Quę de concilio, de Oratoribus, de Epiſcopis eſſent cum Cæſare conſtituta, ea vt debitæ mandarentur executioni procurarent. Et quamuis, ait, coram Domino, & coram Chriſto eius conſcius mihi non ſum, quod in hac legatione mea cuiuſque bouem tulerim, aut aſinum (his enim Samuelis verbis vtebatur) quod quempiam calumniatus ſim, quod quempiã oppreſſerim, quod de manu cuiuſq; munus acceperim; cum tamen ſciã etiam meorum errores & culpas præſtare me oportere, ſi tale quidquam à ſuis deſignatum audiuiſſent, vt ipſi quoque coram Domino, & coram Chriſto eius loquerentur admonebat. Contemnam, inquit, illud hodie, reſtituamque vobis. Cum autem illi dicerent; Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quidpiam. Ille viciſſim, Teſtis eſt, ait, mihi Dominus, & teſtis Chriſtus eius in die hac, quod in omnibus meis ſtudijs, & conſilijs, & contentionibus, ea quæ ſunt Ieſu Chriſti, quærere ſemper volui; ac ita Vienna diſceſſit Auguſto menſe, magno ſui, cum apud optimum & pientiſſimum Cæſarem, tum apud

reliquos aulæ Principes, & vniuersos Catholicos desiderio relicto.

Capvt IIII.

CVm Tridentum magnis itineribus peruenisset, & pompam illã, quæ in ingressione Legatorum solet adhiberi, euitare vellet, sicut in alijs locis facere consueuerat, in ipso diluculo, paucis comitatus ciuitatem est ingressus, sed eum statim infirmitas corporalis excepit, siue propter itineris incõmoda, siue propter assiduos labores, curas, vigilias, sollicitudines, quas Concilij causa, vt illius progressum promoueret, sustinuit: quæ res non mediocrẽ dolorem, in omnium Patrum & Episcoporum animis concitauit, adeo vt quidam ex Episcoporum ordine, uiri graues & candidi præcipuam quandam curam, de recuperanda Hosij valetudine suscipere voluerint, ægrotantis lectulo continuo assidentes, omnia momenta & pondera temporum, & ciborum, & medicinarum, sollicitissima cura obseruantes, vt ne quid ad perfectam curationem defuisse uideretur, non tam Hosium quàm seipsos, atq; adeo vniuersas Ecclesiæ Dei rationes, languere cum Hosio de ficereque existimantes. Inciderat autem is morbus in tẽpus Ecclesiastici ieiunij, cuius obseruationem cum afflictæ ualetudini incommodare

mōdare posse, iudicarent medici, monuerunt vt cibis salubrioribus & accōmodatis, hoc est, pecudum & volatilium carnibus vteretur, & vsitatum illum abstinentiæ rigorem relaxaret. Sed Hosius vt id faceret adduci nō potuit, malens sibi ventrem, sicut olim Paula venerabilis dicebat, dolere quam mentem; quo factum fortasse est, vt in dies morbi vehementia augeretur, ex qua vitæ periculum imminere putabatur, cui vt irent obuiam cæteri, S. concilij Legati, summi & amplissimi viri, de salute collegæ sui solliciti, simul omnes ad lectulum ægrotantis accesserunt, ac sicut olim Hieronymus & Epiphanius Paulam beatissimā, verbis efficacissimis monuerunt, ut Medicorū consilijs tantum obtemperaret, quantum ad tuendam vitam satis esse putaretur: cætera quoque consolantium officia, humanissime & prolixissime obierunt. Hosius autem, sperare se respondit, in Dei misericordia, quod abstinentię & Ecclesiastici ieiunij obseruatio, nullū esset vitæ suæ periculum allatura, cum Dominus & Saluator omnium, sententia, sua crapulam damnauerit, abstinentiam autem verbo & exemplo commendauerit. Instabant autem paulo vehementius Legati, & præsertim laudatissimus ille Cardinalis, & animi magnitudine, & consilij abundantia, & specie corporis, verè Hercules Gonzaga, vt aliquid loci precibus & consilijs tantorum virorum tribueret, quod si precibus nol

let, auctoritati cederet. Et si forte præceptum Ecclesiæ violare dubitaret, quamuis necessitas ipsa abundè ægrotantem excusaret, se tamen cum Collegis suis omnibus, etiam ipsius Pontificis nomine, & vniuersi Concilij auctoritate dispensare, vt sine periculo violati præcepti Ecclesiastici, ex Medicorum consilio, carnibus vesceretur, seque Ecclesiæ Dei, & religioni Christianæ, pro qua tantum in omni vita sua laborasset, ac etiam laboraturus adhuc esset, conseruare conaretur. Quæ cum audiret Hosius; Iam, inquit, Illustrissimę D. V. dixi, me spē meā non in bestiarum cadaueribus, sed in Deo saluatore meo ponere, qui solus est verus Medicus, & vere sanat languores omnes, & corporis & animi. Scriptum est, ait, Honora patrem tuum & matrem tuam vt sis longæuus super terram. Pater meus Deus est in Cælis, mater mea, Ecclesia est in terris. Ille præcepit vt ieiunem, hæc præcipit vt his diebus istoque tempore ieiunem. Vtrumque honorare, vtrique obtemperare volo: & spero quòd ero longæuus super terram, quidquid tandem de suis coniecturis dicant Medici. Immo vero se eam à teneris annis fidem habuisse, si præceptum Ecclesiæ de seruando ieiunio, ex quacunque tandem causa violaret, quod in certum aliquod vitæ periculum incurreret. Quamobrem si se saluum & incolumem cuperent, ne auctoritatē suam ad vim inferendam ieiunio adhiberent:
se

se in eadem plane fide, quam à teneris annis in animum induxerat versari, si carnes prohibitis ab Ecclesia diebus comederet, quod mortem sibi sciens & volens accerseret, & prorsus sibi, secundum fidem suam fieret, quod proculdubio Illustrissimis Dominis Legatis displiceret; Sic Hosius in suscepta sententia perstitit, ac nõ multo post pristinã valetudinẽ recuperauit. Sæpe etiã à Medicis & Episcopis monebatur, vt continuũ illud studium, & legendi assiduitatẽ, saltim in illa morbi vehementia relaxaret, & ad valetudinis curam cogitationes omnes adiungeret. Verum Hosius, hoc, inquit, est, vitam mihi adimere, & viuum, videntemque sepulturæ commendare: tollite libros, eadem opera vitam quoque auferetis. Nonne sicut corpus, ita quoque Spiritus sua refectione indiget? In reficiendo corpore sequar præscriptum vestrum; in reficienda anima, sequar institutum meum.

CAPVT V.

CONFIRMATA valetudine, sicut sagitta cum arcus extenditur tanto celerius volat, quanto diutius impetum retrorsum reducta distulerit, sic ille quoque tanto p[illegible] natu, studio, labore sollicitudinẽ, prudentia, vigilantia, abstinentia, ad obeundã Legati Apostolici munera incubuit, quantò eum diutius

ab his officijs perſequendis, inualetudinis incommoda retardabant. Neque enim corporis imbecillitas, animi vires fregerat. Sed licet is, qui foris eſt, homo corrumpi videbatur, tamen is qui intus eſt, renouabatur de die in diem. Quamobrem omnes ſuas curas, & cogitationes ad hoc unum ſtudiũ conuertit, vt in ſacro illo & Orthodoxo trecentorũ fere Epiſcoporũ Deo amabilium cœtu (ex quibus multi ſingulari uitæ ſanctimonia, multi ſacrarum litterarum ſcientia, multi rerum uſu, & prudentiæ laudibus eminebant, plerique etiam ſtigmata D. Ieſu in corpore ſuo, uel à Turcis, uel ab Hæreticis propter nomen illius impreſſa, quæ nos etiam ſumma cum uoluptate ſæpe ſumus exoſculati, portabant) quod infirmum eſt conſolidare, quod ægrotum ſanare, quod confractum, alligare, quod abiectum reducere, quod perierat quærere pergerent, non cum auſteritate imperantes & potentia, ſed in ſpiritu lenitatis cunctos inſtruentes, & hortantes. Nullum etiam, ut aiunt, non mouit lapidem, nil prorſus intactum & intentatum reliquit, ut ad cõcilium ij præcipue uenirent quorum illud cauſa potiſſimum congregatum erat. Hoc per nuncios hoc per Conſiliarios, hoc per litteras à uere primogenito Eccleſię filio Ferdinãdo Rom. Imperatore, hoc ab eius filijs Sereniſſimis Maximiliano Boemiæ Rege, Ferdinando, & Carolo Archiducibus Auſtriæ, hoc a Sereniſſimo Poloniæ

loniæ Rege Sigismundo, à catholicissimo Bauariç Duce Alberto, ab Ecclesiasticis Imperij Electoribus, a Duce Virtembergēsi, Cleuēsi, Brāsuicensi, Brandeburgen, Prussiæ, hoc ab alijs Archiepiscopis, Episcopis tam Germaniæ, quā Poloniæ, Saltzburgensi, Magdeburgensi, Gnesnensi, Mersburgensi, Numburgensi, Bambergensi, Eistaten. Gurcensi, hoc a Theologis Germaniæ præstantissimis, hoc à patribus Societatis Iesu, sine vlla studij & contentionis remissione, perpetuo flagitabat, rogabat, monebat, vrgebat, obtestabatur, vt & ipsi ad concilium venirent, & ijs qui segregauerunt semetipsos esse authores vellent, vt in concilio potius Oecumenico, quam in aliquibus Germaniæ angulis, de quibus dubitarent Christianæ fidei articulis, disputare vellent. Et habentur illius verba in epistola ad Canisium: Cuperem verū esse quod dicitur, quod missuri sunt huc suos Elector Saxoniæ & Brādeburgen, ac nescio quis tertius, Deum precamur vt veniāt, quocunque tandem animo illis venire decretum est. Etiam Saulus ad persequendam Ecclesiam profectus erat, factus est nihilominus Paulus, & ex persecutore Apostolus. Saul ad occidendum Regem Dauid festinabat, incidit in cuneum prophetarum, prophetauit & ipse. Balaam ad maledicendum populo Israel conductus fuerat, quē cum vidisset benedixit. Idē nunc Deus est qui fuit: æquè potens, æquè benignus

benignus & misericors, vt fuit: nec est in eo fuit, aut erit, sed, est tantum. Potest is auferre cor lapideum, & dare cor carneum, potest efficere, qui conducti sunt ad maledicendum populo Dei, vt hi mutato proposito benedicant potius: & cum sit fons totius benignitatis, nõ magis potest quam vult, modo nos Deum precemur in fide nihil hæsitantes, etiam ex lapidibus ille suscitat filios Abrahæ. Veniant veniant, quocunq; animo veniant. Reperient hic viscera paternę charitatis plena, super eorũ capita carbones ignis cõgerẽtur, nec aliud nobis erit propositũ, quã vt nõ vincamur à malo, sed vincamus in bono malũ. Quod nos diuina misericordia cõsequuturos speramus, vestris præcipue precibus adiutos, in quibus multum fiduciæ positũ habemus. Et in alia quadam epistola ad episcopũ Numburgensem his verbis vtitur; Videor & ego animaduertisse quibusdã in locis vbi suaue Christi iugum, per ministrũ suũ Pontificem, Ecclesiam gubernantis, excussum est, etiam Principum iugum non fere tolerari. Vidimus & clebitij quendam libellum, qui inscribitur, Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici, in quo Lutheranos ad synodum & ad disputationem de præsentia, vel absentia potius, vt ille ait, Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ sacramento prouocat, & easdem illis leges præscribit, quas ipsi nobis præscribere consueuerunt. Itaque qui Roma-

num Papatum se euersuros esse persuasum habebant, de ijs gloriantur Sacramẽtarij quod eorum Saxonicus Papatus prius sit euersus. Vidimus & Flaccij supplicatorios quosdam libellos, quibus in Germania vel Saxonia potius congregari Synodum postulat: à qua primum excludit Christianos omnes, quos illi libuit vocare Papistas, deinde Seruetianos, Suenkfeldianos, Antinomos, Anabaptistas, Sacramentarios & Osiandrinos: neque sibi cum alijs, quam cum Synergistis, Adiaphoristis, & Maioristis, qui vestri sunt, rem esse vult: ac miras tragoedias excitat, de Confessione Augustana, multis in locis mutata ac deprauata. Neque dubitat alicubi, falsi crimen impingere Philippo, quod non magis confessionem Augustanam, quam ipsos Lutheri libros, pluribus in locis adulterauit. Nec sine causa. Nam contuli ego quoque aliquot exemplaria Confessionis Augustanæ, & ita se rem habere comperi: nec vlla mihi visa est proprius accedere ad eam, quæ fuit Augustæ Christianissimo Cæsari Carolo oblata, quam ea, quæ Flaccij opera Iehenæ typis fuit edita, & extat in quarto librorum Lutheri Tomo. Quamobrem cum etiam de ipsius Augustanæ confessionis fide iã apud uos disceptatur, quam admodum festiuè quidam cothurnum appellant, vtrique pedi aptum, cum author ipsius qui suis eam conscripsit manibus, & in aliis multis, & quod est præ-
cipuum

cipuum doctrinæ Christianæ caput, de Christi corporis in Eucharistia præsentia, diuersum ab illa sentiat, & cum Caluino consentiat; non ne satius foret, vt de hac ipsa Confessione, quid in ea recte recipi possit, quid nõ, huic Oecumenico Tridẽtino cõcilio potestas judicandi potius permitteretur, quam vt vnius hominis arbitrio toties mutata, tantam ipsis etiam Lutheranis ambigendi materiam præberet. Cupit id in Saxonia fieri Flaccus. Cur autem non ibi potius vbi totus est cõgregatus orbis Christianus? Scilicet Saxonica fides condenda, & non Catholica potius nobis est retinenda? Certe ex vsu magis, & ex dignitate etiam fieret Principum istorum, vt eorum iudicio controuersias istas disceptandas permitterent, quos pro legitimis judicibus agnoscunt, & dominus eorum Cæsarea Maiestas, & quotquot sunt alij per orbẽ Christianum orthodoxi Reges ac Principes, quam vt vel Flacco, vel Gallo, se, uel qui sunt eiusdem farinæ, subijcerent: neq. dubitare debẽt quin Patres hos habituri sint multo æquiores judices, quam illos nescio quos. Esset hic non magis cognoscendi, quam ignoscendi locus: idque tolerabilioribus multo conditionibus, quam quos preceptoribus suis proponit Flaccus. Et cum in symbolo nos credere profiteamur omnes, sanctam Ecclesiam Catholicam, nonne magis velle deberent Catholicam aliquam Confessionem habere isti Principes, quam

quam vel Saxonicam, vel Augustanam: cùm de his quæ ad Catholicam aliquam confessionem pertinent, nil extra Concilium Oecumenicum, quod Catholicam Ecclesiam repræsentat, statui fas sit, & quod in angulo aliquo cõstituitur à paucis, id Catholicũ dici nequeat. Omnia sibi de nobis recte polliceri possunt, quæ de Patribus sui amantissimis, nec aliud quidquam præter salutem ipsorum sitientibus.

CAPVT II.

HIs ille rationibus & multis alijs huius generis persuadere Germaniæ Principibus conabatur, vt se Concilij Oecumenici auctoritati subijcerent: idque vere Oecumenicũ esse, scripta eleganti epistola, ad Stanislaũ Orichouium Roxolanum, alterum illum Poloniæ nostrę Demosthenem, sole clarioribus rationibus, demonstrauit. Sed cum in sententia nihilominus persisterent, & salutaria remedia refutarent, rogatus à quibusdam, hanc causam intermissionis adferebat. Isti ministri qui noui cuiusdam Euangelij sunt authores, videntur causæ suæ prorsus diffidere, quandoquidem ex latibulis in lucem prodire nõ audẽt. Nam qui male agit, odit lucẽ, qui benè agit venit in lucem, vt manifestentur opera eius. Mirũ est autem quod metuunt exemplum Ioannis Huss, cum etiam sanguine suo, nouam suam doctri-

nam confirmare parati esse deberent. Sic enim Apostoli factitarunt, cum nouam Christi doctrinam propagarent. Adeone sunt autem stupidi, vt non intelligant alia nunc esse tempora quam tum fuerunt, quando de Ioanne Huss, quod ille meritus erat, supplicium sumptum est? Nam in vno tantum Regno pauci quidam defecerant. Nunc diuersa est ratio. Etiamsi nullas haberent Salui conductus litteras, tuto tamen huc eis venire liceret. Quid enim lucrifaceret Sacrum Concilium si vnum aliquem ex Germania vel Polonia venientem hæreticum supplicio curaret afficiendum? Quamobrē vel sensus ipse communis poterat illos docere, quod etiam absque saluo conductu vllo, sine aliquo discrimine, versari hic eis liceret: nisi forte facinus aliquod capitale cōmitterent, quod nec apud ipsos hæreticos impune cuiquam liceret. Sed verum est illud; Qui malè agit odit lucem. Conscientia mille testes. Nec est maius tormentum vllum, quam ipse sibi male conscius animus. Et in alia quadam epistola ad Regem Poloniæ sic scribit; Scio non deesse, qui, quæ piè, sanctéque, sunt à Pontifice acta & cogitata, ea in deteriorem partem rapiant, & est (proh dolor) nimis verum. Nam cum ij qui se à Christo, & ab eis corpore segregarunt, nil minus cupiant, quam Concilium, omnes vias & rationes quærunt, quibus inuidiam Pontifici conflare, & in eum culpam omnem conferre queant,

queant. Verum hoc ſcias Maieſta veſtra quod nulla de loco Concilij fuit controuerſia. Nã quamuis diuerſæ Ciuitates erant propoſitæ in quibus Concilium celebraretur, omnes tamen qui ſunt Chriſtiani Reges & Principes, in eo tandem aquieuerunt, vt haberetur Tridenti potius quam alibi. Qui vero ſunt Lutherani nullus illis, locus placuit. Nam ſicut Marcolphus vel Æſopus olim, nullam dicitur arborem in ſyluis reperire potuiſſe, in qua ſuſpendi vellet: ſic iſti cum ſibi conſcij ſint, ſe veterum hæreticorum dogmata renouaſſe, quę pridem ab Eccleſia damnata ſunt, nec illa vlla ratione tueri poſſe, nil magis horrent, quam nomen Concilij. Et ſcripſit Brentius in eo libro, quem Maieſtati veſtræ dicare, veritus non eſt, ille bipedũ nequiſſimus, Petrus & Paulus Vergerius, quod nullum ferre poſſit doctrinæ ſuæ iudicem, niſi iudicem viuorum, & mortuorum Chriſtum. Quid autem aliud cuperent ſicarij, parricidæ, & quotquot ſunt criminis alicuius condemnati? Quamobrem de loco nulla eſt inter hæreticos controuerſia. Nam Hæreticis nullus neque locus, neque ratio congregandi Concilij probatur.

CAPVT VII.

DE reſidentia quoque Epiſcoporũ in ſuis Eccleſijs magna contentione laboratũ

à nonnullis est: vt in S. Concilij disputaretur, Num ea esset Iuris diuini: quod ita futurum putarent, vt Episcopi tanto essent in pascẽdo grege sibi commisso vigilantiores, ac in suis Ecclesijs perpetuo residerẽt, si decretum esset, quod Iure diuino ad residendum in suis Ecclesijs, & Episcopatibus astringerẽtur. Verũ Hosius faciẽdum id potius, & reipsa præstandum esse, non disputandum, quo id Iure faceremus, expedire, respondebat: qua etiam de re ad Teldium Cæsaris Ferdinandi Cancellarium in hanc sententiam scripsisse legimus. Mecum quoque fuit actum, vt vellem disputari, quo iure Pastores in Ecclesijs suis residere tenerentur. Quæsiui ex nonnullis, quem finem sibi propositum haberent in hac disputatione. Producebant illud ex Euangelio; Forte verebũtur filium meũ. Quid autem, inquam? An in eodem Euangelio non legistis, Malos illos quos male Deus perdidit, dixisse cum videretur filium, Hic est hæres, venite occidamus eum? Videte itaque quòd qui seruos trucidarunt, idem etiam de filio fecerũt, ac vel inde cognoscere potestis, quod qui non audit Deum per ministros suos, per Ecclesiam suam præcipientem, non audiet eum etiam per filium mandãtem. Fingamus autem nusquam præcepisse Deum, vt residerent in Ecclesijs suis Episcopi, sed Ecclesiæ tantum preceptum esse. Eorum ideo non parebunt pastores, quoniam Ecclesiæ preceptum est? Ego vero Dei vocem hãc

lego,

lego, si quis non audierit Ecclesiam sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Itaque diuino iure teneri pastores ad residentiam persuasum habeo, etiam si nihil de ea in scripturis reperiatur, sed Ecclesiæ tantum præceptum sit, quam qui non audierit, eum tanquam Ethnicum & Publicanum haberi Christus voluit. Indubitati iuris Diuini esse; Dilige, Non concupisces, Diligite inimicos vestros, nemo dubitat: num ideo præstantur hæc ab omnibus, quia iuris diuini esse sciuntur? Vtinam vel à paucis saltem præstarentur. Quamobrem non scire, sed facere, Ius diuinum ad salutem prodest. Scienti vere bonum, & non facienti peccatum est illi, Sciebat Eua diuinum esse præceptum, non esse comedendum de ligno vetito; num propterea, quia sciuit, statim fecit? præstiterat eam nesciuisse. Verum illi aliam post ea causam proferebant, quamobrem disputari de residentia cuperent; quod si decretum esset, eam esse Iuris diuini, præclusam iri viam dispensationibus dicebant. Ego verò, vt maximè verum sit, inquam, residentiam esse Iuris diuini, quod negaui nunquam, tamen perpetuam residentiam esse Iuris Diuini verum non est, cum dicat ipsa veritas: Si vos persecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam. Ex quibus verbis colligere licet, casum dari, quo liceat non residere. Nec solum hunc esse casum, verum & alios multos. Sicut hoc ipso tempore multi Pa-

stores absunt ab Ecclesijs suis, qui non solum non peccant, quod absunt ab illis, & in Concilio præsentes adsunt, verumetiam sine magno peccato vocati ad Concilium in Ecclesijs suis residere non possent. Itaque posse, & hoc & in alijs multis casibus Pontificem vel dispensare, vel interpretari, vt abesse aliquando ab Ecclesia sua liceat, nec eos finem istum quem optant, esse consecuturos. Cum præsertim audiuerim Patres dicentes, esse quoddam Ius diuinum dependens, esse aliud inde pendens: esse absolutum, esse positiuum, esse quod versetur circa essentiam rei, esse quod versetur circa materiam contingentem, esse ius diuinũ mediatum, esse & immediatum. Certum autem esse, quod residentia sit Iuris diuini mediati, dependẽtis, positiui, & quod versetur circa materiam contingentem, qualia Iura dispensari posse, illi ipsi Patres affirmarunt, qui de residentia nam sit Iuris Diuini, disputari cupiebãt. Et in alia Epistola Diuino illi, & obstupendo viro (alterum Ambrosium diceres) Cardinali Borrhomæo scribens, his verbis vtitur. Dixerat hic quidam, Varijs in Concilijs multos fuisse Canones sancitos cõtra Vsurarios, nec profectum tamen quicquam fuisse. Postea decre-[illegible] fuisse in quodam Concilio, Iure diuino vsuras prohiberi, & statim homines cognouisse, quod esset mortale peccatum, vsuram percipere. Si hoc, inquam intulisset, quòd statim vsu-

rarij esse desierunt, ad rem aliquid dixisse videretur. Sed sicut postea quam Iure diuino vsuras prohiberi declaratum est, non propterea desierunt esse vsurarij, ac fortasse plures nunc sunt, quàm fuerunt antea; eadem ratione induci potest, postquam declaratum fuerit, esse Iuris diuini residentiam, non propterea facturos episcopos, vt resideāt. Deus ipse præcepit Euæ, ne comederet de ligno sciētiæ boni & mali; num propterea non gustauit? imo vero magis accensa videtur illius cupiditas hoc interdicto, quàm refrænata. Quamobrem qui non audierunt Deum per Ecclesiam residere iubentem, habere me persuasum, quòd ijdem illi, non sunt audituri, eundem etiam ipsum per se loquentem.

CAPVT VIII.

QVærebant etiam ex Hosio nonnulli, num Episcopi à Deo, vel, vt tum loquebantur, diuino Iure essent in Ecclesia instituti: quibus in quadam Epistola ita se respondisse meminit: Quod Episcopi sint diuino Iure instituti certum est, nec vllam de eo nobis esse pugnā, cum hæreticis, sed hoc illos negare, quod qui sunt à Pontifice Romano instituti, sint iure diuino instituti, neque eos pro legitimis Episcopis agnoscere: quod etiam sibi obiectum à Beza fuisse, anno superiori dixit Illustrissimus Dominus Cardinalis Lotharingus, eos scilicet qui à Romano Pontifice instituuntur, non esse à

Christo institutos, sed esse laruas Papales; rasas, vnctas, oleatas. Verùm nos ista credere, certumque id esse, quod qui vocantur aut assumuntur, in partem sollicitudinis à Pōtifice Romano, vel quibus prouidetur à Pontifice, quòd hi & non alij sunt legitimi Episcopi: quod hi & non alij sint diuino Iure instituti. Pōtifex enim diuino Iure, quod habet à Christo, constituit Episcopos, & qui cōstituuntur ab illo sunt diuino Iure constituti. Quod autem ad vocationem attinet, certum est id quoque, Episcopos à Deo vocari: sed hanc à Deo vocationem habere se quoque gloriantur hæretici, Caluinus Beza, Bulingerus, Petrus Martyr, Brentius & alij, omnes gloriantur à Deo se vocatos. Quoniam autem illi non sunt à Pōtifice vocati, ideo non sunt Catholici Episcopi; nec aliud me discrimen scire inter Catholicos Episcopos, & hæreticos superintendentes, nisi quod illi non agnoscunt se vocatos à Pontifice, sed à solo Deo, nos vero vocatos quidem à Deo nos esse gloriamur, sed vt certum sit nos esse legitimè vocatos, legitimè id factum esse, per Pontificē Christi in terris Vicarium prædicamus. Mihi valdè placuit cuiusdam Hybernici Episcopi sententia, qui cum ritè legitimè consecratus esset Episcopus, Romani Pōtificis auctoritate, & quidam Minister hæreticus ab Elisabetam Angliæ Regina missus esset in Dioecesim eius, vt ibi superintendentem ageret, & idem ille se

quoque

quoque vocatum à Deo diceret, per capitellã Anglicanæ Ecclesiæ: Episcopum produxisse litteras Apostolicas vocationis suæ testes, atque his productis probasse, quod ipse per Christum & eius Vicarium legitimè vocatus esset, non autem ille alius, qui postea fuit inde pulsus. Si quis ex me quoque quærat, quo iure sim Varmiensis Episcopus, dicam & ego vocatum me esse à Deo, sed huius à Deo vocationis testes producam litteras Apostolicas, non in cælo, sed in Vrbe Roma scriptas, & hoc iure diuino, quod Vicario suo Petri legitimo successori, Põtifici Romano Deus concessit, Episcopum me esse Varmiensem demonstrabo: alioquin si dixerimus omnes à Deo nos esse vocatos, nec perquem à Deo simus vocati, ostenderimus, nullus ius aliquod certum habebit, nec erit nota qua discerni possint à Catholicis hæretici. Quamobrem si soli sunt à Christo vocati, & instituti, à quo qui non sunt instituti, non à Christo sed ab aduersario Christi sunt instituti. Neque verò quia constituit Episcopos Pontifex ideo non constituit Christus. Dixit Paulus Tito, vt constitueret per ciuitates Presbyteros: num ideo non constituit eos Christus? Quin hi vere sunt demum à Christo instituti, qui sunt per Vicarium eius Pontificem Romanũ constituti. In Epistola quoque ad Cardinalem Trident. his verbis vtitur: Spes est in Deo, quòd Ius diuinum, hoc est, charitatem infundet in

cordibus nostris, per Spiritum suum sanctum. Quod cum erit factum illius benignitate, magis implere Ius diuinum, quàm disputare de eo volemus. Modò ne desit nobis verbũ illud abbreuiatum Dilige, quod est manifestissimi Iuris diuini, præsto statim erit residentia personalis, nec quæremus quo iure teneamur, sed siue per se siue per Prophetas, siue per Apostolos, siue per Ecclesiam Deus id præceperit libenter acquiescemus. Delicata nimis est hęc, & molesta obedientia, cum præcipitur aliquid, quęrere, quo Iure. Disputare hoc est, quemadmodum præclare quidam dixit ex Patribus, In actu cordis, non in auditu auris obedire, Ius diuinum est. Qui vos audit me audit, Qui vos spernit me spernit. Ius diuinum est. Si non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Itaque mihi quidem contra ius diuinum peccare, ac Ethnicus & Publicanus esse videtur, quisquis matrem Ecclesiam præcipientem non audit, etiam si forte non reperiatur expresse in scripturis, quod illa præcipit. Nam si non audiẽdas nobis nisi scripturas, nec præter illas recipiendum esse quidquam putauerimus, hęreticorum hoc est axioma, à quo & aures & animi piorum omnium semper debent abhorrere. Quam autem ad me misit Epistolã Greg. Nazan. legi lubens. Brentius in suo scripto, contra Petrum à Soto, profert locum hũc ex Nazianzeno, quo probare conatur frustra

Conci-

Concilia congregari: quod nihil aliud præter inanes contentiones in illis videre liceat. Sed mihi videntur hæc Nazianzeni verba, non de Synodis generalibus, ſed de Prouincialibus quibuſdam intelligi debere; quæ fere fuerunt inſtar Colloquiorum, qualia ſuperioribus annis in Germania vidimus, nec fructum vllum adferebant. Nam certum eſt Grego. Nazian. non interfuiſſe modo, verumetiam præfuiſſe propemodum Concilio Conſtantinopolitano primo, in quo multa ſunt ſalubria conſtituta: quodqueSymbolum recitatur in Eccleſia poſt lectum Euangelium, in illo Concilio creditur fuiſſe conſcriptum. Hæreticorum itaque conuenticula, quæ crebra tum fuerunt fugere ſe velle ſcribit Nazianz. non quod Synodos legitimas declinaret. Vbi de rebus controuerſis agitur, fieri non poteſt, quin exoriatur aliqua contentio, & eſt illud veriſſimum, quod à Philoſopho ſcriptum legimus, Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Fit enim illuſtrior veritas, cum opponitur illi falſitas. Itaque nullũ puto fuiſſe Concilium, in quo diſputatum in vtramque partem non fuerit de rebus, quæ vocabantur in quæſtionem.

CAPVT IX.

QVodam etiam tempore cum reprehendi audiret Legatorum S. Concilij diligen-

gentiam, quod subinde referrent ad Romanū Pontificē de causis grauioribus, vanas eorum querimonias eius generis responso refutauit. De eo quod subinde refertur, ad S. D. N. de causis grauioribus, scio quod à Vergerio multa scripta sunt, cuius nuper pleraque opuscula vulgari lingua in lucem prodierunt, quorum vnum singulatim, contra me scriptum est: sed ego dixi & ostendi nonnullis, vetus hoc esse, & ex ipsius Christi mandato institutum, vt de causis grauioribus ad S. Sedem Apostolicam referretur; tum autem etiam aduersarijs nostris, non inusitatum id esse: ac exhibui nonnullis librum Hesusij in quo scribit, Quo tempore Confessio Augustana scribebatur, quod per omne tēpus id Corburgi fuerat Lutherus, vt de vicino loco deliberationes, de religione, atque ipsam scriptionem articulorum legeret, atque regeret, atque adiuuaret. Crebris ad hunc datis litteris Philippus se petijt erudiri de grauissimis controuersijs. Hæc Hesusius homo Lutheranus. Exhibui & alium librum scholasticorum Vvitembergensium, in quo scribunt, quòd cum de concordia agerent, inter Philippum & Hesusium, Illyricus suę dignitatis esse iudicauit, consistere Cosuitij, & inde decreta Vvitembergensium mittere, sicut ante aliquot, vt loquitur, annos, fertur Romanum Pontificē misisse Tridentum. Exhibui & tertium libellum, cuiusdam uiri Catholici, qui nomen tamen suum non expressit,

pressit, qui inscribitur, Religionis, & Regis Christianissimi defensio contra Caluinum: in quo scribit. Quòd anno superiori, cum habita fuisse prope Lutetiam Symblea, sicut ipsi vocant, Beza de rebus omnibus ad Caluinum referebat: Caluinus autem è suo tripode reddebat oracula, quibus illum in singulas horas quid agendum, quibus occurrendum esset, monebat. Et abest Geneua, non minus fortasse Lutetia, quam Tridento Roma. Quare si licet hæreticis ad eum referre, si qua de re controuertitur, quem superiorem agnoscunt, quantò magis licere debet id catholicis, nobis præsertim legatis & ministris. S. D. N. cum iussione Domini statuerunt Apostoli, sicut scribit Anacletus, vt de grauioribus fidei præsertim causis ad S. Sedem Apostolicam referretur?

CAPVT X.

PORRO de Calicis vsu, de quo tantas contentiones hac tempestate excitatas videmus & ingemiscimus: cùm eius vsu Laicis Cæsarea Maiestas concedendum & alij nonnulli Germaniæ Principes, magna contentione à Patribus S. Concilij postularent, quid senserit ac etiam fecerit Hosius, in aliquot Epistolis apertissime explicat. Nam ad Regem Poloniæ scribens his verbis vtitur. Magna contentione petitus est à Patribus calicis vsus, per Oratores

Cæsa-

Cæsáreæ Maiestatis, de quo cum sententię dictæ essent, fuere Patres in sex partes diuisi. Nã alij concedendũ esse dixerũt: alij cum essent in eadem sententia, non à Concilio tamen, sed à Pontifice concedi debere: alij negarunt: alij quamuis negarent, ad Pontificẽ tamen remiserunt: alij cum neutram in partem quidquã defi nirent, concedendus esset nec ne, totam causam ad Pontificis arbitrium reiecerunt: alij deliberandum amplius, & negocium hoc in aliud tempus reijciendum esse censuerunt. Qui tantopere calicem petiuerunt, spem fecerunt fore, vt multi ex his qui segregauerunt semetipsos ad Ecclesiæ gremium redirent, quod si certum esset, minus foret in impetrando negocij. Qui vero negarunt his maxime causis adducti sunt, quod negarent eos vere & ex animo, ad Ecclesiæ gremiũ reuerti, qui præscribere vellent Episcopis potius, quam præscriptis parere. Nam qui legitimus est Ecclesiæ filius, pro ea pietate, qua parentem suam sanctissimam prosequitur, accipit ab ea conditiones potius, quam vt ei præscribat. Certe quem vere peccatorũ suorum penitet, accipit leges non dat, nec eorum quidquam faceret recusat, quæ præscribit is, in cuius gratiam redire cupit. Quamobrem cuiusdam in errore tuendo, perseuerantiæ signum esse dicebant, quod non aliter quam sub ea cõditione, si Calix esset permissus ad Ecclesiæ gremium se redituros, nonnulli ostenderunt.

Neque posse dici eos ab omni errore liberos esse, qui hoc peterent Nam aut eos persuasum habere, quod aliter salui esse non possent, nisi sumant vtramque specię, quasi præcepto Dei ad eam sumendam astringantur; aut non credere, quod Christus sit æque integer, sub vna specie atque sub vtraque. Cum autem utrumque affirmare sit hæresis, calicem eiusmodi cõcedere, nil aliud affirmare, quam hæresim approbare: maximè cum certo constat, non alios quam hæreticos calice uti, ita ut usus illius, cuiusdam ab Ecclesia Dei discessionis symbolum esse uideatur. Quamobrem fieri non posse, ut ex animo redeant ad Ecclesiam, qui sibi nihilominus tesseram hanc, atque symbolum permitti uolunt; quod est hoc tempore proprium hæreticorum. Si credunt totum esse Christum sub altera specie, si credunt nullum esse Christi mãdatum de utraque specie sumenda, nec esse id de necessitate salutis; quorsum petunt utramque speciem? Si uero non credunt horum alterum, quid aliud, quam condemnant sanctos maiores suos, quin & Ecclesiam uniuersam, grauissimi cuiusdam erroris uel impietatis, quę cũ interdixerit usum calicis laicis, æterna salute liberos suos priuauerit. Sic autem sentire de matre sua Ecclesia, non est legitimæ prolis, uerum seminis adulteræ. Itaque res eo perducta est, ut causa tota ad S. sedem Apostolicam remitteretur, penes quam potestas erit, quidquid

magis

magis expedire christianę charitati duxerit, hac de re statuere. Ego uero si quam non dubiam spem ostendi uiderem, extinctas iri hæreses omnes in Regnis ac terris Maiestatis uestræ, modo calix permittatur, existimarem non ita magno negocio id impetraturum esse, quamlibet multa dicta sunt a multis in contrariam sententiam. Sed si perstare nihilominus in suis erroribus debent hæretici, non uideo quid causæ sit quamobrem de calice magnopere laboretur. Quin etiam expedire cum quibusdã iudico, ut hæc sit quasi tessera, cõmunio alterius speciei, qua dignoscuntur ab hæreticis Catholici: ut quemadmodum illi non aliam ob causam sibi calicem usurpant, quam ut suam aduersus matrem Ecclesiam rebellionem, declarent; sic hi propterea sunt unius tantum speciei usu contenti, ut se legitimos illius & obedientes esse filios demonstrent. Et in Epistola ad Othonẽ Cardinalem Augustanum his uerbis utitur; Fuerunt apud me nonnulli Episcopi qui meã de concedendo calice sententiam expiscari cupiebant. Inter eos etiam, qui est Aichstatensi Episcopo a suffragiis, quid sibi dicendum esset, consilium sibi a me dari postulauit. Respondi & illi, & alijs, ut dicerent, quod illis illorum conscientia dictaret: cumque de successu ex me quærerent, si calicis usus esset permissus, num ego putarem futurum, ut statim omnes qui segregauerunt semetipsos ad Ecclesiæ gremium

minum redirent, fateor me non uni respondisse: si certò persuasum id haberem, quod per concessionem hanc omnes Christo lucrifacere liceret, quicũque sunt ab illo, & corpore illius Ecclesia separati, me modis omnibus laboraturum, vt calicis vsus permitteretur. Quoniam vero ea de re vehementer dubito, non me statuere satis posse, vtrum expediat nec ne. Et scripsit quidam hæreticus Eplinus ad Serenissimũ Regem meum, quod ego in libello De expresso Dei verbo scripserim, uerbum Dei, Bibite ex hoc omnes (si de laicis, & non tantum de Apostolis intelligatur) non Dei, sed Diaboli verbum esse, & Calicis vsum vocauerim Sathanismum: ac mox his verbis vsus sim. Equidem non iuerim inficias, calicis vsum in Oecumenico Concilio laicis permitti rectè posse. Itaque detestatur meam impietatem, & blasphemiam, qui fuerim ausus affirmare, quod Oecumenicum Concilium possit ex Sathanismo, & ex verbo Diaboli, Dei verbum facere, & iustis de causis Sathanismum concedere & confirmare. Ego vero sicut superiora illa non agnosco, nec reperiri scio in libello meo, ita scripta, quemadmodum ab isto hæretico recitãtur, sic quod fuerit hæc mea sententia & sit etiam nunc, posse concedere Cõcilium Calicis vsum, non inuitus fateor. Talis fuit Hosij de Calice Laicis concedendo sententia. Ac prodierat tum fere Syluani cuiusdam hæretici libellus, in quo

in ea se fuisse sententia aliquando confitetur. Si calix concessus esset, laicis, quod facile componi hoc religionis dissidiũ possit inter Christum & Lutherũ; sed nũc se diuersum sẽtire. Oportere totum Papatum euerti, in primis autem Missam diabolo pro strena donari, omnesque Missarios sacerdotes interfici; ex quibus etiam verbis, qui fructus ex concesso Calice esset expectandus ostendebat.

Capvt XI.

Rogatvs etiam sæpe fuit per litteras à magno illo regni Poloniæ Cancellario Ioanne Ocyieski, vt in Concilio laboraret, quo concederetur facultas toti Regno Poloniæ, quod olei prouentibus non abundat, vt ouorum saltem & lacticiniorum vsu vti possent, singulis ferijs sextis, & Quadragesimali tẽpore. Cui vicissim ita respõdit vir abstinẽtię & ieiunij amantissimus Hosius. Quod scribis futurum, vt magnam ex eo laudem consequar, si perfectum opera mea fuerit, vt ouandi potestas Polonis nostris, in Quadragesima cõcederetur, à Pontifice, vel ab isto S. Concilio; si tam essem valde laudis auidus, alij ex rebus, quam ex hac conciliare mihi mallem. Mirum est autem, quòd cum sexcentis prope iam annis semper oliuatum fuerit apud nos, & non ouatum in Quadragesima, nunquam animaduersum

uersum est, aliquid homines ex eo, per tot secula detrimenti accepisse, prætterquam hoc tempore. In solitudine degentes, Patres illi sancti herbis tantummodo viuebant, cum ne panem quidem quo vescerentur haberent, & aquæ potu contenti erant, nihilominus rari fuerunt hoc vitæ genus amplexi, qui non attigerint annum centesimum, nonnunquam etiam superauerint: quod sanctorum Patrum historiæ abunde testantur. Posteaquam vero, quo tempore præparatio quædam fit, ad Christi passionem, & mortem recolendam, eo cœptum est ouari, quinetiam triumphari, cōplures videre licuit in ipso ætatis flore, lucis huius vsura spoliatos: quibus illud quod Israelitico quondam populo contigit, qui cum petijssent carnes, dedit illis Dominus carnes, adhuc autem erant carnes in dentibus illorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eū plaga magna. Mihi veteres mores retinendi viderentur. Quas autem profert scripturas ad confirmandam petitionis suæ æquitatem, eas me si minus intellexisse, legisse tamen sciat, fortassis autē & intelligere: sed non ita, sicut intelligunt ij, quibus nihil placet, quod Ecclesiæ moribus est receptū. Lecta semper hæc fuerunt in Ecclesia, & quantò sanior fuit harum scripturarum intellectus, tantò diligentius obseruatum erat hoc ciborū discrimē quo nunc vtitur Ecclesia. Nunquam enim existimatum est, quod cibus quenquam

inquinaret,alioquin nō in Quadragesima tantū, aut pro Sabbato, carniū vsu fuisset interdictum: quin,si qui hoc existimabant,ij sunt hęreseos condemnati. Non quæ intrant in os,sed quæ prodeunt de ore dicit Christus , ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ. Quæ autem sunt illæ nolo nūc scribere . Lecta & illa est scriptura in Ecclesia. Non est regnum Dei esca & potus, neque vnquam creditum est,quod in piscium vsu sit regnum Dei, multo minus in ouorum & carniū, sed creditum est hoc quod subiungit Paulus, Regnum Dei esse iustitiam & pacem.Iustitia autem est,vt præcepta maiorum non discutiantur , sed eis pareatur.Et illud in confesso est, quod citius conseruatur pax in ieiunio , quam cum carnibus,& ouis , & vino, venter distenditur . Tunc enim procedunt ex corde cogitationes malæ, quæ pacem perturbant,quæ libidinem excitant,quę pugnas nonnunquā cient; quæ cogitationes malæ,per abstinentiam a carnibus,& reliquis id genus cibis impediuntur, Et est reuera regnum Dei pax, quādo pax cum sanctis maioribus nostris, qui nos præcesserūt in fide Catholica perseuerantibus retinetur, nec vel in ritibus , vel in obseruationibus , vel in doctrina diuersum quidquam ab orbe reliquo Christo , statuitur . Hæc pax, cuius oliua signum est, qua vtimur in Quadrasima , est regnum Dei, non autem esus carnium & ouorū,

qui nonnunquam plus obeſt etiam ad valetudinem conſeruandam, quam ab eis abſtinentia.

CAPVT. XII.

QVONIAM autem in ſingulis S. Concilij ſeſſionibus, quæ nonnunquam ab hora duodecima. ad vigeſimã ſecundã vſque producebantur, de reformatione quoq. tractabatur. Viſum erat nõnullis, reformationis initiũ à Curia Romana eſſe introducendum, qui etiã ab Hoſio poſtulabãt vt operã dare vellet, quo Curię reformatio inſtitueretur. Verum ille talẽ reſponſum, ſe plerique dediſſe, ad Caniſiũ ſcribẽs, meminit. Verè Magnus Imperator ille Cõſtãtinus, cum oblati ſibi fuiſſent libelli, quibus crimina quædam Sacerdotum & Epiſcoporum continebantur, non ſatis habuit, quod eos exuri fecit (cum ſe ab illis, non illos à ſe iudicari oportere diceret) verũ & hoc inſuper addidit: ſi forte ſuis oculis turpe facinus aliquod Epiſcopum deſignantem conſpexiſſet, obtecturum ſe id paludamento, ne cuius oculi ea re offenderentur. Nunc quidam pijs Orthodoxis, & Catholicis Principibus auctores ſunt, non vt ipſi quidẽ iudicent, ſed vt iudicari velint, non quẽuis Epiſcopum aut Sacerdotem, ſed eum qui Princeps eſt Epiſcoporum, ab his qui veniunt ab illo iudicandi: vt membra de capite, oues de

pastore, subditi iudicent de eo, cui diuino iure sunt subiecti. Quid autem hoc aliud est, quàm ordinem prorsus omnem peruertere, & eum in ordinem coactũ velle, cuius dignitate salua, saluus est ordo omnis in Ecclesia? Si quid autem in ea sit labefactatum, iam nullum in ea ordinem, sed horrorem, quod absit, sempiternum videre licebit. Sacrificauerat idolis Marcellinus Pontifex, Concilium indixerat, condemnari se petiuerat, tanquam ingentis flagitij reum. Sed qui Patres in eo congregati fuerunt, non multo minus facinus iudicabant de eo iudicare, quam fuerat illud ipsum crimen, quod Pontificem designasse constabat, verùm vt ipse causam suam iudicaret hortabantur, quod prima sedes à nemine iudicetur. Nil tale commissum nunc audiuimus, nulla sunt Idolis thura admota. Nihilominus à nonnullis hoc agi cernimus, vt prima sedes ab his potius iudicetur, qui veniunt ab ea iudicandi, & verenda patris eorum toto Orbe Christiano detegantur. Quodque maxime deplorandum est, vt corrigãtur hi, qui suarum opinionum idolis magnam Orbis Christiani partem in maximas calamitates adduxerunt, non fere cuiquam curæ esse videmus; sed contra illum omni impetu ferri homines conspicimus, de cuius auctoritate, quanto magis detractum fuerit, tanto plus virium accesserit ijs, qui veterem & orthodoxam religionẽ euertere, & sua à nobis Idola adorari cupiũt: quorum

rum sanandorum causa potissimum Concilium hoc est congregatum. Non sum is qui Romanæ Curiæ peccatis patrocinari velim, quibus non minus me infestum esse profiteor, quam fuit S. Abbas ille Bernardus, qui sic ea detestatus est, sic in ea oratione sua inuectus est, vt perdita quidem illa, sed saluam nihilominus vellet primæ Sedis auctoritatem dignitatemque. Corrigenda sunt, quæ perperam fiunt in illa Curia, quis negat? aut quis pius non ea maxime corrigi cupit? Verum à quo corrigenda? Cur & nos nõ dicimus, Causam tuã vel Curiæ tuæ ipse iudica, quandoquidem prima sedes à nemine iudicatur? Cur ab eo non petimus, vt ipse potius stirpitus ea eradicet omnia, quæcunque oculos hominum iuste offendunt? Sic enim extirpatis vitijs, salua nihilominus permanebit primę sedis dignitas & auctoritas. Sed velle pastorem ouium, velle caput membrorum, velle principem sibi subiectorum iudicio permittere, hoc mihi quidem non minus peccatum esse videtur, quam illa ipsa omnia, quorum causa id fieri postulatur. Etiam ipsi sectarij queruntur, nunc ad Anarchiam spectare omnia. Quid autem hoc fuerit aliud, quam Anarchiam quãdam constituere, si, qui caput est Orbis totius Christiani, eum à suis membris iudicari, eius ministrorum verenda, coram orbe toto detegi velimus? Mihi non videtur tanti esse ista reformatio, quæ tantis clamoribus exigitur, quantũ

ex hac reformandi ratione, deformationem secuturam esse iudico. Fortassis autem non temere affirmauerim, plus esse periculi in hac reformandi ratione, quam sit in dissimulandis malis quę in hunc vsque diem Ecclesia tolerauit. Mihi quidem hac in re non solius Pōtificis verum omnium qui cum potestate versantur, dignitas & auctoritas agi videtur; in quos fortasse idē aliquando sibi licere subditi volent, quod ipsi licere volunt in Pontificē his, qui sunt illius potestati subiecti. Est igitur quamobrem, si antea vnquam, nunc certe nos Deo facere vim oporteat, sed eam vim quæ grata illi esse solet: quādo coit cætus omnis, & aggregatur ad Deum, & quasi manu facta precationibus eum ambiunt orantes, vt quod singulis petentibus negaturus forte fuerat, id multorum precantium vnanimitati tribuat. Sed omnia vigilantissimi & sapientissimi Hosij in S. illo Concilio, dicta & facta, & scripta, longū esset hoc in loco recēsere. Pauca hæc de multis exempla animi plane Apostolici sufficiant: quia ad ostendenda eius merita, & ad procuranda legentibus exempla, idipsum pauca valent, quod multa. Quamuis nec pauca iure dicuntur, vbi cuncta penè, quæ Apostolus requirit, gratiarum dona inueniuntur.

CAPVT

Capvt XIII.

QVos autem videbat in omni pietate & in ſacrarum litterarum ſcientia inter cæteros eminere, eorum præcipuè conſuetudinẽ appetebat, ad communicationem ſtudiorum & conſiliorum inuitabat, quærebat, audiebat, ſciſcitabatur, & gratiã ingentem habebat reſpondentibus, atque ſe ſe in omni congreſſu humaniſſime & familiariſſime adhibebat. Extorres à patria ſua Epiſcopos, eiectos ex Anglia, Germania, Gallia, Sacerdotes in domum ſuam benigniſſime colligebat, liberaliſſime tractabat: opera, conſilio, re iuuabat quos poterat, & omnium ſibi animos, omnibus modis & rationibus, ex intima arte hoſpitalitatis depromptis, adiungere cõtendebat. Vidimus aliquãdo. 40. & 50. Epiſcopos ſimul, in domo eius cõgregatos: quorũ alij videndi tantũ, alij ſalutandi, alij conferendi, alii conſilij capiẽdi cauſa veniebãt, certiſſimã fidei regulã totũ id reputãtes, quod ſentiret in negocijs religionis, aut diceret Hoſius. Vidimus ab eo 10. & plures etiam Patres ad menſæ refectionem ſimul admotos, benedictionis loco genus hoc charitatis accepiſſe, quod in ea plus ſapientiſſimis colloquijs quã cibis alerentur, ita, vt ſæpe doctiores, fortaſſe etiam meliores recederent. Si quis autem alicuius nominis vir, ex Gallia, Germania, Vngaria,

Polonia, Boemia, cæterisque infectis heresi partibus, Concilij videndi causa veniebat, sicut illi præcipua cura fuit Hosij cognoscendi, sic Hosio vicissim eius sibi omnibus officijs, & studijs demerendi. Sæpe inuitatos ad se 10. & plures etiam Episcopos ex omni natione mensæ suæ adhibebat, Italos, Gallos, Hispanos, Anglos, Græcos, Germanos, Lusitanos, Scotos, Vngaros, Polonos, Boemos, Dalmatas, Sclauos, Bosneñ, Epyrotas, Illyricos, Cretenses, Cyprios, Chios, Melitenses, & Armenos : vt ostenderet hoc tale Concilium, & esse & rectè dici posse Oecumenicum, in quo Orbis ferè totius nationes congregatæ viderentur, quæ in diuersitate linguarum oris, vnam habebant linguam cordis. Vidimus non paucos inferioris ordinis viros, pietatis & sacrarum litterarum amatores, magni beneficij loco reputasse, cũ in domesticorũ ordine & numero, aut in aliquo cubiculi angulo grauissimos illos & vtilissimos sermones, lectiones, disputationes, quæ per aliquot horas, & ante mẽsam, & amotis mẽsis habebãtur audire potuissent. Scimus etiam hominem, ac fortasse plures alij Hosij admiratores fuerunt, qui pene singula illius verba & sententiarum pondera, siue in publicis consilijs siue in priuatis & domesticis colloquijs recitata, calamo studiosissime excipiebant, & inter sua κειμήλεια reposita magno adhuc studio & diligentia asseruant.

CAPVT XIIII.

IAm verò quis pro dignitate memorare poſſet greges illos egenorũ, & portas,& porticus, & gradus domus eius obſidentium? Sacerdotes illos, Monachos, & iuuenes,bonarũ litterarũ ſtudioſos: quorum neminem vmquã vacuum & indonatũ abire permittebat, dicẽs, nullũ id facere minus decere, quàm Legatum Apoſtolicum. Quos in Anglia, vel in Germania propter confeſſionẽ Chriſtianæ fidei,in carcerem vel in cuſtodiam compactos, vel loco motos, fortuniſque ſpoliatos audiebat,eos epiſtolis datis conſolabatur, pecuniam ſubmittebat, ad ſe inuitabat. Concionatores itidem Catholicos, qui cũ libertate verbum veritatis loquebantur,& re, & conſilio iuuabat,& in propoſita ſententia doctiſſimis epiſtolis, confirmabat: ac auctor etiã fuit Illuſtriſſimis Dominis legatis vt ad Orbis Chriſtiani Principes Catholicos ſcriberent, quo Angliæ Epiſcoporũ Chriſti confeſſorum, quos in carcere fœdiſſimo Chriſti inimica Iezabel Angliæ Regina detinebat, & vitam & rationes valde ſibi habere vellent commendatas. Non ſolùm autem in oculis Catholicorum maximus habeatur Hoſius,ſed hęretici quoque præcipuo quodam ſtudio videndi & audiendi Hoſij tenebantur: quem etiam per contemptum, ſicut olim ſcythæ Theotimum

mum, Tomitanum Episcopum, propter admirabiles, & diuinas eius virtutes, Deum Romanorum, sic isti Papisten Gott, hoc est, Deum Papistarum appellabant. Et contigit nobis inter se mussitantes audire, Sich sich der ist der alte schelm, des rechtē Euāgelij feindt, vnd vidersacher, aller Papisten Doctor velche sollen vvol zu bodē gehen, vvoder Taufel vuirdt den Magister vvek furen. Idest; Hic est antiquus ille latro, veri Euangelij hostis, & persecutor, Papistarum Doctor, qui statim omnes conciderēt, si Magistrum hunc Diabolus, è medio tolleret. Vidimus etiam librum Pomerani cuiusdam, ignobilissimi auctoris Merlini, illius seditiosissimi ministri simystæ, de traditionibus: ex quo si conuitia maledicta, blasphemias in Deū Ecclesiam, in Pontificem, in totum ordinem in Ecclesiasticum tolleres, rasa tabula maneret: sed in hoc certe genere, egregie est Lutheri sui mores & linguæ procacitatem imitatus. Ibi quoque in Hosium nostrum, cum doctrinam eius de traditionibus refutare non posset, nec vitæ honestissimæ rationem, qua toti orbi notissimus erat proscindere iuste valeret, Græca, Latina, Germanica, lingua maledicendo tamē, vt vincere videretur, laborauit. Vocat ibi Honon ὁσιῶν sed ἀνοσίων, vocat Antichristi legatum, vocat carpinalem, Carnalem, Diabolicum, impium, Tridentinæ colluuiei præsidem, Papistarum Legatum, Impostorem: vocat, Hosij Poloni tra-

ni traditoria opera, vocat Helspergensem siue Varmiensem Episcopum, der in der Helle, si nõ cõuertatur, Vuirdt in euuigekeitvuarm bleibẽ qui in inferno nisi conuertatur plus satis conca lescet. Sed verum est illud quod ait sapiẽs, Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. Sciebat illud Hosius, quod magna est laus Catholicorum cum vituperantur ab hæreticis; magna infamia cum ab illis laudantur. Quamuis ne in ea quidem de Hosio sententia hæretici inter se consentiebant. Audiuimus enim ex ore Laurentij Alberti, ex Lutherano iam Christiani, quod cũ Philippo melanth. præceptore vteretur, sæpe ab illo libros & argumenta Hosij Episcopi producta in medium refutataque, audiuisset, quamuis ita vt aiebat ille, frigide, vt hæc sola causa fuerit quæ se ad lectionem librorum, Hosij impulerit, in quibus veritatis lucem aspexit, & Lutheranorum perfidiæ nuncium remisit. Nunquam tamen Philippus Hosij mentionem faciebat, quin illi vitę honestæ actę, totiusque pietatis laudẽ tribueret. Qui si, inquit, Papista non esset, primus omnium Doctorũ hoc sæculo esset. Vergerius tamẽ profligatissimus ille pudoris & pudicitiæ hostis, cum feliciorẽ quam cupiebat Concilij progressum, & Hosij conatus æquo animo ferre non posset, incitata in hominem innocentem illa sua vecordi mente, omnibus maledictis lacerandum,

& in

& in odium hominum adducendum putauit. Sparsit enim cōplures libellos, Latina, Italica, Germanica, Gallica lingua scriptos, vbi cum Acta S. Concilij, tum Hosij præcipue epistolā ad Ducem Braunsuicensem exagitat (nec enim inuenire poterat quod in Hosij vita moribusque castissimis laceraret) in qua dixerat expedire hæreticis, vt in Concilio de sua doctrina cognosci velint, præsertim de Confessione Augustana. Tum etiam illud repræhendit, quod totum mundum in Concilio adesse dixerit; quod doctrinam Protestantium Sathanismum appellauerit: quod apud hæreticos de fidei doctrina, sartores, baiulos, figulos, & aliam fecem populi, iudicare dixerit: quod Anarchiam seminent inter Christianos, & rebellionem inter populos: quod eandē nunc inter Christianos Missam quam ante 1500. annos celebrari docuerit: quod Lutheranos Sodomitis esse peiores dixerit: & quod nulla sunt apud eos certa matrimonia: quod necessarium esse docuerit, vt vnus præsit in Ecclesia. Addidit & hoc quod Hosius Baptizet campanas, quodque Romā cum suis libris profectus fuerit vt Cardinalis fieret. Ad extremum etiam in optimum Pontificem Pium IIII. virulentam linguam exerit, quod cum omnia ad cursum Euangelij, vt vocat, impediendum excogitet, nil tamen perniciosius excogitare potuerit, quam quod Hosiū Cardinalem, & Legatum Cōcilij creauit. Præ-

terea

terea vero ſcripſit recantationem quandam ſiue palynodiam, in qua pœnitere ſe oſtendit, ſi vel micam aliquando habuit in ſe Chriſtiani hominis. Totum Miſſale, & Cæremoniale ſubſannat mirabiliter. Miſſæ præcipue Sacrificium impudentiſſime irridet. Sacroſanctum Chriſti corpus vocat fruſtulum panis: & planum omnibus facit, ſi fuit aliquando Chriſtianus, ſe nūc fidē Chriſtianā prorſus execrari & ab ea vehementer abhorrere. Verum his turpiſſimi hominis cōuitijs, & opprobrijs laudari ſe potius, quā vituperari Hoſius exiſtimabat: quinetiam cū Theologus quidam Illuſtr. Bauarię Principis, Apologiam pro Hoſio, contra Vergerium ſcripſiſſet, quam etiam in manibus tenemus, non putauit eſſe dignas Vergerij vanitates, vt à viro bono refutarentur, itaque liber hic non fuit in lucem editus.

CAPVT XV.

ERAT in eodem Concilio qui poſt aliquot annos apoſtatæ Vergerij exemplum ſecutus à fide Chriſtiana ipſe quoque, vt ita dicam, apoſtatauit, Andreas Dudecius, Sbardellatus, qui tum Epiſcopus Tinnienſis vocabatur, & à Clero Regni Vngariæ deputatus venerat. Is propter quandam eloquendi elegantiam, & orationis vbertatem non obſcuri erat inter cæteros Epiſcopos nominis, & familiaritate Ho-

sij cum primis delectari videbatur. Hosius tamen de eius in fide Catholica constantia vehementer dubitabat; ac sicut olim Gregorius de Iuliano cum adhuc iuuenis Athenis operā nauaret litteris, periculum defectionis imminere, priuatim aliquando coram suis memorabat, quod etiam aliquot annis interiectis cum oratorem Cæsaris apud Sigismundum Polon: Regem ageret consecutum est: vbi Dudecius, sicut olim Vergerius, relicta maiorum nostrorū fide, Caluini perfidiam est amplexus, & refractis pudoris repagulis, mulierem quandam nobilem sibi copulauit, eamque vxorem vocare non dubitauit. Quo tempore quærebamus ex Hosio quibus olim indicijs futuram leuitatem hanc & inconstantiam hominis, & hunc tam grauē & luctuosum casum deprehendisset: qui nobis respondit, quod ex sola superbia, quod magnus & doctus in oculis suis videbatur, multum suo iudicio tribuebat, cæterorum auctoritatem iudicia, consilia, & sententias flocci faciebat, quod omnium hæreticorum tam est proprium, vt vel inde genuinam superbissimi Luciferi sobolem agnoscas. In quo responso illud mihi in mentem veniebat, quod in vita S. Zenobij legimus: Quod maxime omnium vigent sanctorum, & Deo amabilium virorum ingenia: & ipsa animi puritas, ad coniectanda ea quæ futura sunt, ex minimis indicijs euentus colligit; & quod Philo quoque Iu-
dæus

dæus meminit, quod legitimi cultores Dei mēte pollent plurimum, qui ne leuia quidem errata negligunt, propter excellentiam huiusmodi Regis in cuius versantur obsequijs. Verus enim sacerdos, simul etiam vates est, non tam generis, quam virtutis (sicut hic noster Hosius) beneficio Sacerdotium consecutus, summi nominis, ideo nil ignorat: quippe qui habet in seipso solem intelligibilem.

Capvt XVI.

SED & in ipsa Polonia non defuerunt Hæretici ad rauim vsque vociferantes, quod Hosius tandiu à regno & à Reipub. obsequijs abesset: externis tantū principibus operam nauans, & honores captans, & quod opes Regni exhauriret, & quod onera Reipub. necessaria non ferret, quorum importunos clamores non putauit silentio suo esse nutriendos, sed in eam sententiam cum ipsi Regi Sigismundo, tū Consiliarijs eius scribens refutauit. Perfertur ad me quod in Comitijs, quæ proximè sunt habita Marieburgi, in absentiam meam à patria causa sit collata, quamobrē nullam ad usus Maiestatis Vestræ pecuniam cōtribuere potuerint. Sed ego qua de causa absim ab Ecclesia mea, non ignorat Maiestas Vestra. Neque enim absum vt voluptatibus aliquibus & delicijs Italiæ vacem, aut vt priuatis rationibus meis prospiciā.

Quam

Quam ad rem non me ingessi sed sum legitime vocatus, & ab eo vocatus cui non obedire est Christianum non esse. Deinde verò, si minus ab eo vocatus fuissem, tamen in Synodo, quæ proxima Quadragesima Varsouiæ habita est, fuit hoc ipsum decretum, vt ad Cōcilium proficiscerer; ita vt necessario mihi fuerit hoc tempore propter tam pium & necessarium opus Ecclesia mea relinquenda. Quamobrem ni habēt isti quod vociferentur contra me. Absum enim Reipub. causa, & quidem grauissima causa. Ad sum tamen ad omnia officia, obsequia, seruitutemque Maiestatis vestræ, quoties his vti voluerit, præstanda. Hac ipsa de causa abfuerunt aliquando à Regno, Nicolaus Gneznen̄ Archiepiscopus, Andreas Posnanien̄, & Nicolaus Plocen̄. Abfuerunt Ioannes & Franciscus Varmien̄ Episcopi, & in Constantiensi, & in Basiliensi Concilio, quorum vtrunque multos annos durasse scimus, neque tamen clamores aliqui fuerunt contra eos concitati, sed gratiæ potius, actæ sunt, quod labores & sumptus facere non recusauerint, dum Ecclesiæ Dei pro sua virili succurrere possint. In alijs quoque litteris, ad Stanislaum Carnkouium tunc Referendarium, postea Episcopum Vvladistauien̄, nūc Archiepiscopum Gneznen. vigilantissimum, his verbis vtitur; Si quid ambiuisse me constaret, si vel verbo mortalium quenquam sollicitasse, si non etiam renuisse quandiu licuit, for-

tasse

tasse causam aliquam isti haberent quamobrē, durius aliquid in me statuendum iudicarent. Sed si mihi honos hic obstrusus est, si recusaui quoad potui, si non ad voluptates, non ad opes, verùm ad labores, ad sumptus, ad pericula grauissima sum vocatus, & quidem Ecclesię totius causa sustinenda, num hac re tantum deliquisse vobis videor, vt pœnas etiam de me sustinendas existimetis, quò Ecclesiæ tranquillitati pro virili mea seruire conor, quam ad rem non ipsę me ingessi, sed ab eo, cui necesse fuit obedire, sum vocatus? Nisi fortè graue crimen hoc apud vos est, præter ambitum ad honorē aliquem peruenisse, quemadmodum etiā proximis superioribus diebus, cuidam tibi non ignoto non alia res dicitur impedimento fuisse, quominus nescio quid consequeretur, nisi quod parum ambiuisse videretur. Quasi verò non satis virtus ipsa ambiat, non satis ambiant labores Regni Reipublicæque causa suscepti. Apud Ethnicos lex erat ambitus constituta, apud vos contra eos, qui non ambiunt. Video nil esse vobis cum illa Platonis Republica cōmune, in qua non esse mandandos honores nisi inuitis, fuit constitutum, ambientes verò procul ab illis arcendos. Ego verò causam non dico, si quas meritus, sum, de me pœnas sumatis, si vobis meritus videbor, reclamabit iudicio vestro totus orbis, nec me tamen spes mea, Christus deseret; nec ego propterea

K quic-

quicquam remittam, vel de religionis tuendæ studio, vel de ea fide, quam Serenissimo Regi meo, vel de ea charitate quam patriæ meæ dulcissimæ debeo. Iã vela ventis permissa sunt: Deum precor vt cursum nostrum dirigat. Sic Hosij patientiam & innocẽtiam exercere permittebat diuina misericordia, vt tanto redderet omnibus gentibus & populis gloriam eius illustriorem. Neque ille vicissim vllum finem faciebat gloriæ Dei & Ecclesiæ Catholicæ promouendæ, non in his tantum publicis muneribus & officijs quæ commemorauimus, sed in omnibus quoque priuatæ vitæ studijs & rationibus, quas tanta pietate moderabatur, vt exemplo cæteris præluceret, & ab ipso Christo vitæ normam accepisse videretur, quem illis Euangelij vocibus perpetuò inuocabat, Mane nobiscum Domine, Mane nobiscum Domine. Ipso quoque Parasceues die in illo ipso Concilio (neque enim huius quoque facti memoriã, obliuione & tenebris obruendam cẽseo, quippe cum meminisse Hosij, sicut de suo Socrate ait Phoedon, siue quæ dixerit, siue quæ fecerit mihi semper omnium sit dulcissimum) cum pridie modico tantùm pane se se refecisset, noctẽ in vigilijs & orationibus exegit, ad compatiendum Christo spinis coronato & flagellis lacerato se se exercens. Media verò nocte cæteris omnibus quiescentibus cum Rescium tantùm, & Nicolaum Gallum virum omnino probum sibi

ſibi adiunxiſſet, extra Ciuitatem Tridentinam ad Eccleſiam Dominicanorum egreſſus eſt, vbi ante ſepulturæ ſimulachrum, in quo Chriſti verum corpus de more aſſeruabatur, in terram proſtratus, per duas ferè continuas horas, in Oratione Dei lachrymis, & ſingultibus interrupta perſeuerauit, Chriſtianę religionis integritatem, Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, pacem populorum, conuerſionem hæreticorum, Concilij progreſſum, Domino commendans, ac poſtea reliquas etiam omnes Eccleſias, extra mœnia ciuitatis poſitas, intempeſta nocte, aſpero cælo, non ſine periculo obambulabat, ſanctorum preces ardentiſſimè inuitando, pauperes ad ſepulchrũ vigilantes ſalutando: quorum etiam orationibus, ſe & Concilij progreſſum diligentiſſimè commendabat, & copioſas eleemoſynas, in ſingula capita porrigebat. In quadam autem Eccleſia, cum nihil ſupereſſet, quod egeno ſupplicanti tribueret, ex intimo pectore ſuſpirans, ad nos conuerſus, ſi quid haberemus, vt petenti largiremur, innuebat, ad extremum autem ne cui prorſus defuiſſe videretur, aurea nonnulla Regum & Imperatorũ numiſmata offerebat, non contemnendi ponderis, ipſum quoque quo tegebatur pallium oblaturus, niſi familia illuceſcente iam die, miniſtrique pecuniæ adueniſſent. Quamuis autem occupatiſſimus eſſet, publicis totius Reipublicæ Chriſtianæ negotijs, ita vt reſpi-

rare libere non posset, nam & in media quoque nocte aliquando surgere, & consiliis interesse vrgentibus cogebatur, legendi tamen & scribendi consuetudinem, ne tum quidem prætermisit, sed quod de S. Thoma Aquinate memoratur, ipse quoque ternas aliquando litteras simul dictitabat, & interim alium quoq. legentem auscultabat, & si quis interim veniebat eum quoque benignissimè audiebat, & expediebat, & ad studia vel ad cæptam scriptionem, sine vlla animi vel memoriæ perturbatione recurrebat, verissimumque illud esse quòd à Gersone scriptum legimus, cõprobauit: Homo internus citò se colligit, quia nunquam se totus ad exteriora effundit, non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria.

Capvt XVII.

HAEC fuerunt eius in Concilio Tridentino studia, consilia, hi mores, hæc vitæ ratio, præclarissimis exemplis ad imitandum abundans, quo etiam nomine Pius IIII. Pontifex illi magnas egit gratias, cuius vel vnica epistola hæc, locupletissimum testimoniũ perhibere poterit, quàm Deo grata, Ecclesiæ vtilis, Põtifici chara fuerit eius viri opera, cuius aliquot ex multis alijs exempla iam commemorauimus. Pontificis autem epistola sic habet; Vehemen-

menter optatum nobis fuit, vt post impositum superno fauore finem sacro isti Cōcilio ad nos redires, vt te, quē inter fratres nostros eximie diligimus, complecteremur, & tibi coram gratias ageremus, pro tātis laboribus quos in ipso Concilio noster & Apostolicæ sedis legatus suscepisti. Ea te vultus & animi lætitia, fili, fuimus excepturi, quam singularis erga te amor noster postulat, eas vero gratias acturi, quæ tātæ tuæ erga Deum pietati, tantæ erga sedem Apostolicam deuotioni ac fidei, tanto denique studio, curæ, diligentiæ in commisso tibi legationis officio adhibitæ debebatur. Neque vero mediocrem fructum percepturi fuimus ex præsentia tua, in hoc seruitutis Apostolicæ munere, quod sicut Domino placuit, nobis licet immerentibus, & tanto oneri imparibus commissum fuit, obeundo ac sustinendo; quin operæ & consilij tui auxilium tā to nobis opportunius fuerit futurum, quanto maiora animi virtutumque dona, bonorū omnium largitor Deus in te contulit. Sed quando Ecclesia tua, à qua diu abfuisti, primū à fœlicis recordationis Paulo IIII. prædecessore nostro euocatus, deinde à nobis ad Concilium missus, tantopere reditum tuum efflagitat, tantoque desiderio & studio flagras commisso tibi gregi, præsens tuum officium ac pastoralē sollicitudinem præstandi, piæ isti, & omni laude dignæ voluntati tuæ, morem quin geramus fa-

 cere

cere non possumus, scientes quantopere gregi tuo, his tam miseris periculosisque temporibus excubiæ tuæ salutares futuræ sunt, quantoq; vsui futura sit excellens auctoritas, & doctrina tua, cum insigni pietate ac religione coniuncta, non solum ad continendos in fide Catholica bonos & deuotos Ecclesiæ filios, qui in illis partibus sunt, sed etiam ad multos qui hęreticorum fraudibus abducti sunt, supernæ misericordiæ auxilio, ad vnitatem Ecclesiæ & orthodoxæ fidei veritatem reducendos. Quamobrem humilibus precibus tuis inclinati, cum peractum Concilium fuerit, discedēdi tibi potestatem concedimus: & quoniam te complecti præsentem non possumus, absentem animo & cogitatione complectimur, gratias tibi debitas agentes, quod tāta cura, fide, diligentia, prudentia, officio tibi cōmisso functus es; vt nobis & fratribus nostris cumulatissime satisfeceris. Bonorū vero omnium remuneratorem Deum orantes vt preuis erga religionē Catholicā, & vniuersalē Ecclesiā meritis, ac pro singulari erga nos & hanc sanctam sedem deuotione, præmia tibi talibus proposita tribuat, & ad Ecclesiam tuam redeuntem, atque in ea residentem, gratia, & protectione sua perpetuo custodiat. Deferentes autem tibi omnia quę à nobis proficisci possunt, ad tuum & ipsius Ecclesiæ commodum, eaque præstare summo animi studio parati rogamus charitatem tuam dilectissime filij,

filij, vt pijs precibus tuis diuinæ Maiestati assidue nos commendes. His litteris acceptis, cum absolutum esset Concilium, cum inuicem sibi sancti illi & venerandi patres in osculo sancto cum lachrymis vale dixissent, in omnem terram verba & decreta S. Concilij propagaturi, noster quoque Hosius in Poloniam iter ingressus est Decembri mense, cum tota regio niuibus, frigore, & glacie obriguisset; cuius asperitatem vix vnius vrbis tecta & parietes ferre & sustinere potuissent. Sed ignis internus, charitatis fasciculus inflammatus, frigoris vehementiã temperabat, ita vt omnia præ hoc vno desiderio posteriora duceret, vt ouiũ suarum salutem primo quoque tempore coram procuraret. Multis & magnificis verbis ab Illustrissimo Cardinale Ludouico Madrucio rogabatur, vt ætati suæ parceret, Tridenti subsisteret, valetudini operam daret, saltem dum asperitas hyemis frangeretur. Idem etiam ab illo contendebat Illustrissimus Cardinalis Augustanus, qui tum per Tridentum in Hispanias cũ Senerissimis Principibus Austriacis Rodolpho & Matthia, Maximiliani tũ adhuc Romanorũ Regis liberis, proficiscebatur; sed aliud in Hosij corde Spiritus charitatis loquebatur, quam nulla vis, nulla consilia, nulla incommoda non solum eripere, sed ne labefactare quidem potuerunt. Addidit autem animum Introitus, vt vocant, Missæ, quam illo ipso quo discessurus

erat die,in Ecclesia Cathedrali.S.Vigilij audiebat,qui incipit, Egredimini & videte filiæ Sion Reginam vestram ; ita vt ne domum quidem reuerti ex Ecclesia voluerit,sed recta ad portas Ciuitatis , tanquam Deo per sacerdotem monenti obtemperaturus properabat . Ex itinere ad Ferdinandum pientissimum Imperatorem rogatus ab eo Viennam diuertit , qui diuinam illam Hosij,Iesu Christi veterani, grauitatem, plenam auctoritatis & prudentiæ laudibus abundantem , incredibili frontis & oculorum hilaritate excepit,vbi sibi inuicem, & Ecclesiæ Dei fœlicem Concilij exitum amicissimè gratulabantur,ac de executione decretorum eius, deque pace Ecclesiæ Dei constituenda , plena maturitatis consilia contulerunt.

CAPVT XVIII.

REVERSVS in patriam Hosius tanto maiore cum gaudio exceptus est,quanto maius sui desiderium in omniũ animis abiẽs ex patria reliquerat.Patrem pauperes, adiutorem pupilli, oppressi liberatorem, cæci oculũ, claudi pedem,perituri salutem,viduę consolationem,sibi restitutam existimabant : nec erat quisquam in Diœcesi prę sertim eius Varmien. qui non pietatem,iustitiã,misericordiã, in suas sedes redijsse arbitraretur,sed tanquam Angelum Dei & hominem è cælo è lapsum exceperunt,

perunt. Ille vero pro perpetua sua consuetudine, nullum tempus ocio quietibusque cæteris, nullam reficiendo corpori, ac debilitatis ex itinere viribus concessit; sed curam suam omnẽ, & cogitationem ad executionem Decretorum S. Concilij Tridentini, atque ad homines iurisdictioni suæ Ecclesiasticæ subiectos, partim reuocandos partim in officio retinendos conuertit, & ante omnia Synodum Diœcesanam coegit, in qua multa salutaria, & Diœcesi suæ necessaria instituit: præsente & omnia pia instituta promouente, Ioanne Francisco Commendono S. R. E. Cardinali, viro ingenio, doctrina, pietate, rerum vsu & eloquendi elegantia valde cumulato: qui tum legationis Apostolicæ munus apud Sigismundum Regem Augustũ summa cum dignitate sustinebat: & erat Hosio nostro summa & veteri consuetudine coniunctissimus, propter admirabiles ingenij & prudentiæ dotes, quibus eum Dominus abundè cumulauit, cuius etiam consilijs in omnibus Christianæ Reipublicæ negocijs plurimum tribuere videbatur. Deinde verò Patres quoque Societatis Iesu, quorũ hodie laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, qui tradiderunt animas suas pro nomine D. N. Iesu Christi, sollicitissima cura omnia prouidentes, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, qui tamen nullam adhuc in Polonia certam sedem, nullum domicilium constitutũ habe-

habebant, ex Italia, & Germania in Prussiam, ipse primus euocauit, templum assignauit, Collegium instituit, reditus attribuit, supellectilē intruxit, & reliqua omnia vitæ præsidia, maximis suis sumptibus comparauit, ac illis quoq; Seminarij, ex decreto Concilij instituti, curam atque procurationem demandauit. Magnatum etiam & nobilium filios, plerosque etiam ab hæreticis parentibus auulsos, educandos & erudiendos commisit, cuius postea studij maximi fructus, & vtilitates in patria nostra eluxerunt.

CAPVT XIX.

INterim Ciues quidam Braunsbergen. cum ex vicino malo ob Pastoris sui diuturnam absentiam vitium ipsi quoque traxissent, sitire ipsi etiam calicem cœperunt, eiusque sibi vsum concedi ab Episcopo suo Hosio imprudentissimo consilio vsi contenderunt: quem nisi biberent de salute sua in periculum venire se putauerunt. Sed Hosius principijs obstandū ratus, ne tenuem quidem istam cunei partem admittendam esse existimauit, ne quod plerumque solet euenire grauior deinceps fissura & separatio sequeretur. Quamobrem & omnes in vniuersum, & priuatim singulos, tum per se, tū in publicis cōcionibus per Sacerdotes & Theologos suos de calicis vsu deque cæteris religionis

gionis capitibus instruebat, & cum ad Ecclesiã venissent, portas omnes & exitus, sicut olim faciebat Cęsarius, obserari mandabat, vt vel inuiti & repugnantes, verbum veritatis & sanum horum verborum, Bibite ex hoc omnes, intellectum audire cogerentur. In quo studio quãtum curę, laboris, ac diligentię adhibuerit, quibus artibus usus sit, quam plena charitatis viscera, & Episcopalis vigilantiæ pectus, omnibus declarauerit, ex Actis Braunsbergensibus petere quisque potest. Non est enim huius loci singilatim omnia recensere. Res quidem est valde lætam Cathastrophen consecuta, nam omnia separationis consilia, inter illos ciues subsiderunt.

CAPVT XX.

AD Elbingensium quoque ciuium salutem, omne suum studium conuertit, qui Lutheri verbum, pro Dei verbo receptum, palam in templis profitebantur, & aliquot Ecclesias cæteraque loca sacra & religiosa, Augustanæ Confessionis & doctrinæ foeditate, prophanisque ritibus audacissime contaminauerunt, nullam occasionem prætermisit, nullum finem fecit, & publice in prouincialibus Comitijs, & priuatim in omni congressu docendi, monendi, rogandi, obsecrandi, vt Ecclesiam matrem agnoscerent, eique dicto audientes

tes essent in terris, si Deum patrem vellent habere in cælis. Sed cum Elbingenses pastoris & Episcopi sui vocem, minime audiendam existimarent, minorque in dies fieret ad fouendas hæreses, & ad quiduis audendum apud illos verecundia, cum nil in spiritu lenitatis proficeret, potestatis legitimæ à Deo constitutæ vindicis vt ait Paulus, in iram ei qui male agit, auxilium implorauit: ac obtinuit, etiam, ab optimo Rege Sigismundo, vt missis Elbingam aliquot Senatorij ordinis viris Commissarijs, vt vocant, suis, grauibusque poenis propositis, Ecclesiæ Parochialis possessio legitimo Episcopo ad primæuum vsum conuertenda redderetur: in qua statim insigni pietate & doctrina viros ex Societate Iesu collocauit, qui populum errantem tũ priuatis sermonibus, tũ publicis concionibus, ab errore viæ suæ reuocare non cessarẽt, verboque veritatis pascerent, & exemplis Christianæ vitæ, & Angelicæ conuersationis institutis, ad omnem pietatem informarent. Cæterum vt vberiorem fructum faceret Euangelij prædicatio, necessarium quoque fuit nutantẽ, vt ait Cyprianus, multorum fidem, martyrij veritate, & persecutionum tolerantia solidare. Vox enim prædicantium, Christianæ fidei confessione illustrata, tolerãtięque laude probata, ad Dei aures facilius penetrat, & aperto sibi cælo, de Domini bonitate, errantium conuersionem celerius impetrat. Sæpe igitur accidit

dit cum quidã ex Societate Iesu vir totus Deo deditus Petrus Phae Germanus, ex superiori loco verbum Dei iuxta sensum & consensum Ecclesiæ Catholicæ prædicaret, vt turmatim irruerent Catholicæ veritatis inimici, ac prægrandia saxa, toto impetu, in faciem Euangelizantis intorquerent, omnibusque modis, risu, cantu, cachinnis, vlulatu, plausu, strepitu, ne à quoquam posset exaudiri, obstreperẽt. Sed vna præcipue die facinus aggressi sunt memorabile, & ei quod profitẽtur Euangelio valde cõsentaneum. Cum enim tremendũ illud Missę sacrificium P. Petrus celebraret, irruentes in Ecclesiam hæretici, actionem vniuersam sacerdotis omnibus cachinnis irridebant. Cum autem ad eleuationem Eucharistiæ ventum esset, dum Sacerdos pretium illud redemptionis nostræ super caput eleuatum, Deo patri immolat, & astanti populo videndum, & adorandum exhibet, aliquot ponderosos lapides in dorsum celebrantis impegerunt, & alios præterea quibus sacra mysteria dissiparent, in altare proiecerunt: neque tamen vel Sacerdotem impedire potuerunt, quominus institutam actionem expediret, vel sacra illa mysteria disiecerunt. Alio præterea tempore, eodem illo Patre in eodem loco celebrante, & sacram itidẽ Eucharistiam eleuante, ausus est homo quidam turpissimus, depositis in medio templo caligis, (ò mores Lutheri Cacangelio dignissimos)
obscœ-

obſcœniſſimas corporis ſui partes, quod apud homines honeſtos etiã in occulto turpe ducitur, altare verſus exponere: niſi quod audaciã hominis ſecuta eſt vltio diuinitus irrogata. Nã illico in eodem loco concidit, cum pes vnus ignẽ concepiſſet, ſociorumq; manibus in propria ſedes deportatus, graues pœnas ſuæ in Deum contumeliæ perſoluit. Quadam etiam nocte ex eodem Lutheranorum cœtu ſodales aliquot congregati, facta inter ſe conſpiratione, multos itidem & ponderoſos lapides, in cubiculum eiuſdem Patris, multo conatu, refractis omnibus repagulis, per feneſtras iniecerũt: ſed eum tamen & alios præterea ſocios, diuina ab omni læſione bonitas mirabiliter conſeruauit. Poſtea vero in cellam vinariam ingreſſi, in dolium de quo potare ſolitus erat, fœdiſſima ſtercora iniecerunt, ac tandem etiam oblato veneno, egregij Sathanæ milites perfecerunt, vt vſum vtriuſque manus, pater ille venerandus amitteret: quem tamẽ poſt menſes demum aliquot magna adhibita diligentia & exquiſitiſſima cura, ac etiam ſumptibus, optimi & innocẽtiſſimi viri D. Ioannis; Hoſij de Bezdany, eius de quo nũc agimus fratris germani, & in omnibus vitæ ſtudijs, tanto fratre digniſſimi, (Baſilium & Gregorium diceres,) ſumma cum omnium gratulatione, in Villa Smolanenſi recuperauit: nec vllam morbi vehementiam, aut perſecutionis acerbitatem minus moderate tulit,

quam

quam quod eum Dominus tantopere expetito martyrij honore, dignari noluerit. Ioannes quoque Assermanus, eiusdem societatis sacerdos, ad prædicandum in ea Ciuitate Euangelium legitime deputatus, cum in templo suburbano, verba ad populum faceret, multis & ipse lapidibus petitus coactus est in cathedra ictus illos vehemētes, capite in palliū inuoluto declinare cumq; præterea futibūdi homines, mortē illi certissimā minarentur, statim vt extra Ecclesiam prodijsset, seque ad designandum facinus, quod animo conceperant, & animis & telis armauissent, admonitus ea de re Assermanus, absoluta concione, positis in terram genibus, ipse quoque sese ad certam mortē Christi causa oppetendam, & animo & voluntate armauit: Deoque gratias egit, quod tandem expetitum calicem pro eius Euangelio bibiturus esset: & signo sanctissimæ & viuificæ crucis, fronti suæ, pectorique impresso, in confertam illā homicidarum aciem est ingressus. Verum illi (ò Dei prouidentiā) tantum abest vt conceptum animo flagitium perpetrarēt, vt ne verbo quidem læserint per medium transeuntem. Passi sunt venerādi Patres isti & alia multa, quæ longum esset singula recensere: quæ & si valde grauem, & acerbum doloris sensum pientissimo Episcopo adferebant, quod tantis tenebris inuoluti, tanta essent hædorum suorum Elbingēsium animi cæcitate & amentia percussi, vt ne

uocem

vocem quidem Euangelij ferre, & sustinere pos
se viderentur; maiorem tamen ea cogitatio do-
lorem pariebat, quod non ipse potius, vel saltē
in illorum Patrum societate, acerbitates illas,
pro Christi quoque nomine pertulisset. Erat
enim ad ipsum quoq. martyrium subeundum,
vehementer inflammata voluntate, si percus-
sor ad fuisset: idque etiam non sermone solum
suo, verum etiam alijs multis & euidentibus ar
gumentis, luculentissime comprobauit. Cum
enim ostensa postea noua quædam spes fuisset,
Ciues illos Elbingenses, non ita magno nego-
cio lucrifieri posse Christo, si conatum adhuc
aliquem ad expugnandos Burgimagistrorum
animos Episcopus adhiberet; proficiscendi ad
eos consilium cœpit. Cuius rei fama Elbingam
perlata, magnam trepidationem in hæreticorū
animis concitauit, ne Lutheri Cacangeliū Chri
sti Euangelio locum dare cogeretur, ne ve Mis
sa Christiana, cœnā Lutheranam, sicut in Gal-
lia loqui consueuerunt, profligaret. Quamob-
rem minis & periculorum denunciatione, à su-
scepta propositaque sententia pium Episcopū
deterrere conabantur, per vicos & plateas ciui
tatis iactitantes, quod venire quidem Elbingā
posset, sed exire non æque sibi fore licitum: fa-
cturos se periculum, si quod illi præsidium Pa-
pa Romanus allaturus esset. Quæ voces inanis
simorum hominum cum ad aures Hosij perue-
nissent, qui vitam suam, vt rectius eam regeret,
iam

iam ante diu contempſerat, magis atque magis ad profectionem incenderunt, quidquid tandē viſum eſſet, Domino de vitæ conſeruatione ſtatuere. Chriſti itaque nomine inuocato, pro cuius Eccleſia omnia erat pati paratus, venit Elbingam; acceptus eſt honorifice, ſermonem bene longum ad Magiſtratū, & primores populi in ipſo prætorio Germanica lingua habuit, priuatim etiam multos docuit, rogauit, obteſtatus eſt, vt ab errore viæ ſuæ deſiſterent, publicè ſæpe ſine comitatu incedebat; ſæpe etiam vno tātum & altero quopiam comitatus intempeſta nocte ad Eccleſiam deſcendebat: vbi multis horis in oratione Dei, pro ſalute populi cum lachrymis ſupplicando morabatur, nec ſe ianua & parietibus ſed conſcientiæ teſtimonio tegebat, neque tamen vlla eſt cuiuſquam offenſio conſecuta. Noluit quippe Dominus, vt hoc tā neceſſario Chriſtianæ Reipublice tempore, cōſeruandæ religionis & Epiſcopalis vigilantię ac ſollicitudinis exemplum interiret, cum imminens Orbi Chriſtiano ruina, ope, tam fœcundi pectoris indigeret. Multi quippe, ait Auguſtinus, pati voluerunt, neque potuerunt; nulli tamen potuerunt, niſi qui voluerunt, quia non potuiſſent, ſi fidei teſtimonia negare voluiſſent. Quam autem contentionem adhibuerit, quo conatu laborauerit, vt viam veritatis agnoſcerēt, etiam ſi verba loquentis poneremus, vim tamen illam, zelum illum actio-

nem illam, vultum & oculos, salutem animarum sitiētes, quis ita possit explicare, vt facta, non ficta videantur esse? Dictum enim ab illo tum est in publico palatio acriter, resque est tā accurate gesta, vt si vnquam in dicendo fuit aliquid, tum profecto Christianæ in Elbigensis charitatis magnitudo, vim quandam illi dicendi addidisse videbatur. Vellem inter alia, dicebat, oculis vestris ostendere, quam in vos habeo charitatē, ne ista quidem lux salute vestra est mihi charior. Millies optarē ipse cæcus esse, si per hoc vos possetis veritatis splendorem aspicere. Quam enim mihi voluptatem vel ista lux, vel ipsa quoque vita potest adferre, dum oculis vestris magnas offusas esse tenebras uideo, dum perpetua animi ægritudine propter vos conficior? Possum ego quoque dicere; Et lumen oculorum meorum & ipsum quoque non est mecum; propter assiduas lachrymas quas ante dominum vestra causa effundo. Credite mihi, dum vestram istam cęcitatem, & obstinationem defleo, nō est mihi otium mea mala deflēdi, adeo mihi omnia vos estis. si spē profectus video, in altum prę multo gaudio extolli videor; si spes omnis tollitur, rursus vita morte est mihi grauior. Vita mea conuersio vestra, mors mea obstinatio vestra. Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrum. Hoc vnum & præcipuum

puum est votum meũ: hoc gaudiũ meũ, quod vos amo, quod vos complector, quod vestrã salutẽ, vestrã conuersionem desidero; & si liceret cor nostrũ rũpere, & vobis illud ostẽdere, videretis oculis vestris hanc in eo præcipuã de salute vestra curã & cogitationẽ residere. Non vos ego fallo, charissimi, non vos fallo; Sic in extremo die meo propitiũ experiar iudicem illũ, viuorum & mortuorum, non vos fallo. Dixerunt aliqui vestrum, quod ego veritatem quidem videam, sed annunciare & profiteri non audeam, ne & dignitatis & Episcopatus ammittendi periculum incurram. Ego vero coram Christo saluatore meo profiteor, quod id vos doceo, id vobis annuncio, quod in animo sentio, quod in corde meo video. Cur enim fallerem? Ego nesciens & volens, & meam & uestrã animã orco tradere conarer? Nullum tam suaue meritũ est. Errare possum: prudens & sciens, agnitã ueritatẽ oppugnare non possum. Fingendi enim mẽtiendiq; volũtas eorũ esse propria videtur, qui opũ, qui gloriæ, qui ambitionis studio ducuntur, à quibus autẽ abest studiũ lucri, abest etiã voluntas causaque fallendi. Extremæ fuerit ea res improbitatis, quam in mores meos non cadere, à qua vitam meam omnẽ abhorere, vos ipsi mihi testes esse potestis locupletissimi. Sed nec errare perniciose possum: quandoquidem in eo quod vos doceo, non hominis alicuius mortalis, omnia sibi tribuentis, omnia cæteris

detrahentis,sed eius ductum & auctoritatem, sequor,quæ neq. fallere scit, neq; falli potest, quæ colũna est & firmamentum veritatis, vnã sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiã, ac Deũm etiam precari sæpe soleo,prius vt mihi mẽtem omnem eripiat,quam vt hac me præditum esse mente velit, vt orbem totum Christianum desipere,me vero solum sapere, & scripturas intelligere persuasum habeam, vtque priuatum meum sensum, publico totius Ecclesiæ sensui & consensui, anteponendum existimem. Voluistis me,ne ad vos accederem, nescio cuius periculi denunciatione deterrere. Scitote quod minæ istæ quas proponitis, modicè me tangunt. Formidines istas Sathanæ Ministris, quos ad vestra desideria vobis coaceruastis opponite. Mihi Catholico & Orthodoxo Episcopo stat sententia,pro gloria Christi & salute vestra omnia tolerare. Mors mihi grauis nõ poterit accidere, qui in omni mea vita mori vt discerem laboraui,nec causam dico, quominus in hoc corpus meum,omne crudelitatis genus expromatis, dũ modo ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, vel post interitũ carnis meæ,redeatis. Ac fregerat ille sermone hoc suo nõnullorum obstinationem,sed magis in illis valuit malum, vt ait Augustinus inueteratum, quam bonũ insolitum. Errare cum multis, quam cum paucis salui esse maluerunt,quamuis deliberandi tamen spacium dari sibi voluerunt; acciditque

que tum Hosio, quod ait Hieronymus, Qui Æthiopem inuitat ad balneum, & si nigredinē non auferat illi, vel pecuniam accipit sibi, & licet in illius candore non gaudeat, vel certe in suo lucro lætatur: ita qui inobedientē monet, quamuis refragantis peccata non tollat, sibi tamen mercedē de ministerio charitatis acquirit. Tantum autem abest, vt minas illas & & terrores, quos offerebant, re & veritate implerent, vt omni potius honore, & officijs prosequerentur, & manus eius sicut olim Gaianas hæreticus, B. Chrysostomi, quem tamen valde persequebatur, fuerunt exosculati, virtutem scilicet & pietatem viri reueriti. Habet enim hoc virtus ut species eius etiam in hoste atque inimico posita delectet. Reliqua sermonum eius & contentionum & laborum, quos magnus ille homo Dei, uereque Theologus sustinuit, scripta sūt in Actis Elbingensibus, anni 1560. quæ incipiunt. Ostensa fuit Cardinali. Nos ad alia properamus.

CAPVT XXI.

HABITA sunt interim Parcouiæ Regni Poloniæ Comitia, in quibus Lutheristæ & Caluinistæ, quamuis inter se uehementer ipsi quoque de præcipuis Christianæ religionis capitibus dissidentes, quo facilius tamē maioreque ui, & numero & impetu, Ecclesiam

Dei, & ministros eius, oppugnare & euertere possent, consilium inierunt, ut partem alteram hæreticorum, Trideistas & Anabaptistas, quæ tamen est Germana Lutheristarum, & Caluinistarũ soboles, si non possent ex omni rerũ natura, uel saltim ex Regni Poloniæ finibus exterminandos curarent; uel in malas cruces, quocũque tandem modo possent agerent. Quamobrem à Regia Maiestate, & uniuerso Regni senatu, ut duæ illæ fœdissimæ sectæ proscriberentur, publico senatusconsulto importunissimis precibus, & omni cõtentione postularũt: de quo consilio cum Hosius cognouisset neq. per ualetudinem posset ad Comitia accurrere, & coram potius quam per litteras, religionis defensionem suscipere, per nuncios & familiares suos & per epistolas grauissimas, conatus est hæreticorum nefaria consilia impedire. Nulli labori, nulli tempori, nullis uigilijs pepercit, nullam occasionem prætermisit, quin Regem, Episcopos, cæterosque Regni Senatores Catholicos, oraret atque obsecraret, tùm commodis tum incommodis plurimis, tum iræ quoque diuinæ denunciatione proposita, ut ne quid eiusmodi quod petebant, Lutheristas obtinere permitterent. Comedant, inquit, potius ad inuicem, ut consumantur ab inuicem. Bellum enim Hæreticorum pax est Ecclesiæ. Aut simul omnes, qui ab Ecclesia discesserunt proscribantur, aut si hoc potestas tenebrarum

non

non permittit, simul omnes tolerentur. Veritas enim, dicebat, falsitatē, non falsitas pellere debet ueritatem. Solos enim Trideistas et Anabaptistas eijcere, est Lutheristas et Caluinistas Canonizare, et eorum potentiam augere, ac audaciam nutrire. Immo potius expedire iudicabat, si, quod absit, reprobata fide Catholica, eius loco nouam aliquam perfidiam recipere cogitarent, ut Trideistarum perfidiam reciperēt. Existimabat enim eius perfidiæ turpitudine deterritos iri homines, ab omni reliqua doctrina amplectenda, quæ cum Ecclesię Catholicę doctrina non concordat. Quid enim nobis, ait, cum Augusta? quid cum Geneua? Num Imperio, num Elueticis Cantonibus subiecti sumus? Si libet insanire, si mētes uestras uertiginis spiritus ita miscuit, hanc potius domi natam impij Trideistæ Gregorij perfidiam recipite, & Polonicam quoque fidiculam appellate: uel si uultis ad perfectionem Lutherani Euangelij citius adhuc & sine molestia peruenire, uniuersæ fidei Christianæ simul abrenunciate, & dicite, Edamus, bibamus, cras enim moriemur. Quorsum enim tot ambages? quorsum istæ tātæ circumitiones? Lutherani Cacāgelij perfectio, Atheismus est & Epicureismus. Neque enim aliud ab initio fuit Sathanæ propositū, cum Lutherum ab inferis suscitaret, quam vt per eum, fidem in Deum ex animis mortalium extirparet. Sed noluit cornua sua statim prodere, ne homines rei

turpitudine, quominus illi dicto essent audientes, deterrerentur. Et certe frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Tam est Anathema, tam est Ethnicus & publicanus, qui Ecclesiã in paucis, quã qui in multis non audit: sicut qui submersus est, tã est mortuus sin in abisso maris delitescat, quã si vno tãtum aquæ palmo contegatur. Intellexit hoc ille non bipedũ solum, sed etiam quadrupedum omnium impurissimus Bernardinus Ochinus Senẽsis, maluitq; vno impetu Christi diuinitatem negare, imo num Deus esset, & num illi res humanæ curę essent, in dubium reuocare, quam sordido Luthero vel impuro Caluino turpissimè ancillari. Sic fecit alter ille impostor nequissimus, cuius nomen scriptum est in inferno, qui librũ edidit, de tribus humani generis impostoribus, Moyse, Christo, & Mahometo. Quæ certè referens horreo. Sed vobis ostendere volo, quàm sit periculosum, se ab Ecclesia segregare, & quàm sit facile à paruis initijs, ad summum impietatis gradum ascendere. Et certè in patria quoque nostra iam audimus, non deesse quosdam ex his, quibus noua placent omnia, qui Mahometi perfidiam, cæteris omnibus anteponendam putant. Quamobrem si Christiani esse vultis, vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicã Romanã Ecclesiam sequimini. Si non libet esse Christianos palã omnes dicite; Non est Deus. Ita Lutheri Euangelium perficietis, & patri eius

Sata-

Satanæ satisfacietis. Meminerat autem Hosius simili olim concilio vsum fuisse Teophilum illum Alexandriæ, cum delubra Deorum euerteret, & simulachra in lebetes conflaret. Vnam enim imaginem certi alicuius Dei, omniũ turpissimam seruari iussit, eamque in loco publico erexit, vt gentiles tempore progrediente nõ irẽt inficias, se tam turpes & inanimatos Deos coluisse, eamque rem Ammonium Grammaticũ gẽtilem præcæteris ægerrimè tulisse, quòd illa quoq; statua cõflata nõ fuisset, sed ad Græcorũ religionis irrisionẽ reseruata maneret. Et Socrates inter sapientes reputatus, per canem quẽlibet, & lapidẽ quemlibet, & quicquid iuraturo esset in prõptu, & quasi ad manum occurrisset, iurare non dubitabat: non quod verè lapis & canis essent colenda sapientibus, sed vt hoc modo intelligerent, qui possent, tanta superstitione demersos, tanta cecitate percussos esse homines, vt emergentibus, sicut ait Augustinus, hic tam turpis esset demonstrandus gradus, ad quẽ si puderet venire, viderent, quãto magis pudendum esset in turpiore consistere. Quod si vero de pace Regni laboratur, Lutherĩstæ & Caluinistæ, primi omnium ex eo erunt exterminandi. Neque enim Trideistę vel Anabaptistæ, in Germania, in Gallia, & Flandria, Anglia & Scotia, sed Caluinistæ & Lutheristę bella ciuilia suscitarũt, & has tantas quas uidemus clades, in Orbem Christianum inuexerunt

xerunt. Vt enim in seminibus causa est arborũ & stirpium, sic omnium bellorum & motuum in Ecclesia Dei, semina, Lutherus & Caluinus extiterunt. Dolemus, aiebat, pacem Ecclesiæ ruptam, unitatem scissam; rupit, scidit Lutherus. Dolemus Patribus honorem ereptum, eripuit Lutherus. Dolemus infima summis paria facta, turbauit miscuit Lutherus. Dolemus Ecclesias dirutas, prophanatas, Monasteria vastata, ciuitates euersas, villas oppida exusta, diruit, vastauit, euertit, exussit Lutherus. Dolemus bella ciuilia suscitata, suscitauit Lutherus. Desideramus Roffenses, Moros, Cartusianos, Teltones, Storeos, aliosq; clarissimos & admirabiles Christianæ religionis defensores, eosquoq; nobis eripuit Lutherus. Auctoritas Ecclesiastici ordinis afflicta est, afflixit Lutherus. Omnia deniq; quæ postea vidimus (quid autẽ mali non vidimus, aut quod signum impietatis ab illo prætermissum vidimus) accepta referemus Luthero & Caluino, qui tantorum causa bellorum, causa pestis, atque exitij fuerunt. & hæc tamen busta religionis, in Regno toleranda aliquis putabit? Prius cum vndis flamma, prius denique omnia redibunt in gratiam, quam hæreticis, quamdiu volent esse hæretici, cum Ecclesia Dei conueniet. Cum enim hæretici omnibus sint erroribus amici, non possunt non esse nisi solis non errantibus inimici. Quãuis autem in Episcoporum quoque ordine non deessent,

deessent, quibus uisum erat expedire, vt si non omnes simul, aliquę tamen hæreticorum sectæ ex omni Regis Imperio pellerentur, quod facilior esset futura de altera parte, hoc est, de Lutheristis & Caluinistis statuendi decernēdique ratio, diminuto sectariorum numero, tamē ipsi quoque in Hosij Cardinalis sententiā abierunt, cum in ea re multum etiam laboraret, in illis ipsis Comitijs Illustrissimus Dominus Cardinalis Ioan. Franc. Commendonus, Legatus Apostolicus: cumque obtineri non posset, vt publico senatusconsulto omnibus pœnis & infortunijs Regni statutis compræhensis, omnes in vniuersum adiudicarentur, qui cum Ecclesia Catholica Romana in fidei doctrina nō concordant, saltem hoc summo Catholicorum conatu perfectum est, ut externi ministri, cuiuscunque tandem sectæ essent, veluti faces belli & flabella seditionum, & audacissimorū hominum nutriculæ, qui se se uel Duces uel ministros seditionis vbique præberent, homines sine fide sine spe, sine charitate, sine re, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu vita omni inquinati, qui nouas quasdam nouarum religionū sedes, nouos Lukos, Lukiskos, Brogos, Volas, immo maximas Nieuolas, tāquam moles contra veterem religionem constituere nō dubitabant. Hi inquam, tales omnium sententijs intra certum tempus è Regni finibus, atque ex oculis vniuersæ patriæ, excedere iube-

rentur. Quam rem cum indigne ferrent Lutheristæ & Caluinistæ, quod eodem plane à Catholicis, quo Trideistæ & Anabaptistæ loco haberentur, & æque digni pœnis omnibus, quam illi, immo etiam grauioribus, quam illi infortunijs obnoxij censerentur, propterea quod ipsi Ecclesiam Catholicam vniuersam, auctoritate, antiquitate, consensione roboratam primi omnium commouissent, ac deseruissent: illi vero Lutheranos nuper natos, qui suum vt vocant Euangelium, non ita pridẽ sub scamno eruissent, reliquissent, deponendas esse mutuas istas contentiones existimauerunt, ac de ineunda inter vtranque partem concordia rationes inire, quam perpetuis odijs causam Catholicorum meliorem, suam vero deteriorem facere maluerunt, nouisque consilijs, & artibus armati ad futura Regni comitia Petricouiam venire decreuerunt: & interim etiam Conuenticulum inter se fecerunt, ex quo magis etiam auersis, & à concordia, & abinuicem animis & studijs, cum vtraque pars alteram hæreseos condemnaret, discesserunt; quamuis longe aliud libris, de hoc ipso Colloquio suo editis commenti sunt, vt suorum animos confirmarent, & Catholicorum uoluntates retardarent. Verumtamen cum non ignoraret mores hæreticorum Hosius, qui capitibus ab inuicem dissidentes, caudas nihilominus connexas, sicut illæ Sampsonis vulpeculæ haberent, in

in quibus ignem & flammam, ad euersionem Ecclesiæ repositam circumferrent, ad illa ipsa Comitia Petricouiensia, tanquā ad commune incendiū restinguendum accurrit, cuius præsentiam Catholici omnes summa gratulatione, hæretici autem inuiso prorsus & repugnanti animo exceperunt: quibus eo grauior erat ad uidendum, quo magis erant vijs eorum, viæ illius contrariæ, hocque etiam maiore ui, & impetu persequendum & oppugnandum susceperunt, religionem vniuersam oppressam & euersam existimantes, si Hosium opprimerent ac euerterent. Nihil enim omnino tantis in Ecclesiam Dei sceleribus designatis, adhuc se fecisse arbitrabantur, busta illa religionum omniū, quandiu Abrahamicus quoque senex Hosius eorū malitiam expertus non esset, de quo opprimēdo modo non totidem verbis, quibus olim Athanasius, contra Magnum illum Christi Confessorem Hosium Cordubensem, apud Constantium Imperatorem, Arrianos vsos esse memorat. Omnia quidem à nobis facta sunt: profligauimus in exilium Romanum Pontificem: extorres fecimus plurimos Sacerdotes: omnia loca terroribus impleuimus: sed tamen pro nihilo sunt tanta nostra opera, neque quicquam profecimus, quandiu reliquus est pater Papistarum Hosius. Quandiu enim ille in Regno erit nostris consilijs semper obsistet. Potest enim & verbis & auctoritate fidei suæ, & Regē

&

& cæteros omnes contra nos inducere. Verba enim eius tanquam boum stimuli sunt. Hic Princeps est Episcoporum. Hic Synodorum & Conciliorum moderator. Hic Orthodoxorum Decretorum auctor. Si quid dicit, vbique auditur; si quid scribit vbiq; legitur, & Lutheri Caluinique sectatores, vbique pro hæreticis traducit. Illo itaque stante hæresis nostra cadere cogitur. Quamobrem illum ante omnia persequamur, neque illi ob auctoritatem, dignitatem, existimationem, ob, annos, parcendum putemus, si quidem hæresis nostra non curat seniorum caniciem, qui omnia quæ Patrum sunt violare consueuimus. Consilium itaque de Hosio ex Regno Poloniæ exturbando inierunt, idque etiam in consessu Nunciorum, qui ex singulis Regni Prouincijs, quas Palatinatus vocant, à Nobilitate deputati, ad Comitia Regni generalia veniunt, in deliberationem vocauerunt, clamitantes; Non esse Cardinales in Polonia necessarios, in qua exploratorum officia tantum obeunt, & ad externos Principes, atq; in Vrbem omnia Regni studia & consilia diligentissime perscribunt; & Regem in eos qui Romano Pontifici nuncium remiserunt, assiduis stimulis & susurrationibus incendunt. Tū etiam periculum esse dicebant, ne tempore Interregni Regnum occuparet, aut aliquem arbitratu suo superinduceret, propterea quod in creatione Cardinalium creator creaturis suis di

cere

cere ſoleat, Eris ſimilis Regibus. Regni quoq; Statutum quoddam proferebant, in quo prohibetur, ne quis dignitatem Cardinalatus petat, aut quouis modo impetret. In hoc igitur erant, vt aut exterminaretur ex Regno Hoſius, aut abiecto bireto ſiue pileo rubeo, in Epiſcopi Varmienſis loco, & ordine acquieſceret. Verum fruſtra iacitur rete ante oculos pẽnatorũ. Poſtquam ſemel mortis metum ex animo ſuo eiecit Hoſius, nullius deinceps rei metus ingredi in illum potuit, deque patria potius, ac de fortunis etiam omnibus, quam de recta ſententia dimoueri maluit. Tantum enim abeſt, vt alicuius periculi tempeſtatiſque metu, de contentione ſua hæreticos perſequendi quidquam remitteret, vt aperte quoque profiteretur, ſi quo caſu contingeret, vt ex patria ſua exterminaretur, ſe non in aliam partem id accepturum eſſe, quam quod ſibi ſingulari quadam miſericordia, proſpectum Deus voluerit, vt ibi potius eſſet, vbi Pelopidarum iſtorum, nec nomẽ audiret, nec facta videret, nec oculis ſuis patriæ ſuæ chariſſimæ cineres, & ruinas aſpiceret, & eadem ipſe quoque mole obrueretur. Quod ad ſtationem attinet, in qua Deus inuitum & repugnantem collocare voluit, eam ſe nunquã eſſe ſponte ſua deſerturum: & ſi maior aliqua vis ingrueret, in felicitatis ſuæ nõ minima parte id quoque poſiturum dicebat, ac illis etiam gratias acturum, quorum opera vitam eſſet immor-

immortalem ac beatiorem consecutus. Quod ad ambitum attinet, se causam non esse dicturum aiebat, quominus Regni statutum executioni mandaretur, si doceri posset, quod unquam Cardinalatus dignitatem ambiuerit, ac si non potius ipse docere posset, quod olim à Paulo IIII. Pontifice vltro oblatã recusauerit, atque deinceps etiam à Pio IIII. ad absentem delatam, non nisi iussus, & repugnans, cum in virtute Sanctæ obedientiæ cogeretur, & ab Imperatore Ferdinando quotidie vrgeretur, post longam tergiuersationem ad extremum receperit. Quamuis non deerant vicissim Catholici Senatores, qui pro salute & dignitate, tam laudati Cardinalis, extrema quoque tentare se paratos ostendebant: cum intelligerent etiam si sententia omniũ, ex ingrata patria Hosius pelleretur, omnes Vrbes & Prouincias expulsum ex patria ad se vocaturas esse; ex quibus vir Illustrissimus & peruetusta familia natus Stanislaus Barzius Palatinus Cracc. idem contra Cardinalem Sbigneum, maximum illum Reipub. nostræ aduocatum, & Ecclesiæ acerrimum defensorem, ante 104. annos, attentatũ à nonnullis fuisse ostendit. Omnia tamẽ aduersariorum consilia, opera & studio Castell. tum Cracc: disiecta dissipataque cõcidisse. Quod illo tẽpore fecerat in causa Sbignei, Castellanus, sibi quoque in causa Hosij facere, deliberatum esse. Sic illa Hæreticorum consilia in spongiã,
quod

quod aiunt incubuerunt, cum in sua ipsorum viscera, infesta arma conuertissent. Orta enim fuit inter Trinitarios, & sacramentarios grauis & acerba disputatio, de opinionum veritate, quorum vtraque pars suam doctrinam, Christi doctrinam, suas opiniones, Christi voces, et purum putum verbum Dei iactitabat, cumque non posset inter eos conuenire, pertæsi contentionum, ad Hosij tandē iudicium referendam vtriusque partis sententiam, eiusque decretis, standum esse censuerunt, quod tamen postea minime præstiterunt: cum tamen Hosius nullum finem faceret omnibus ostendendi, quod Lutheristæ, Caluinistę, Trideistæ, Anabaptistę, sicut ille sic et iste, omnes Christum negauerūt, omnes ab vtero Ecclesiæ, omnes à vero aberrauerunt, etiā si altera pars, de sanctissima Trinitate recte, atque cum Ecclesia sentire videretur.

CAPVT XXII.

VOCAVERAT etiam ad se, vnum ex sacramentarijs uirum nobilem, et ueteri gratia ac necessitudine, dum adhuc esset Catholicus, sibi coniunctissimum, vt illum de errore quo versabatur, in spiritu lenitatis erudiret. Cęterum ille adduci nunquam potuit, vt priuatim vellet cum Hosio colloqui, quod sciret nō alia de re secum, quam de religionis negotijs

actum iri, plurimosque ab illo à luce Euãgelij, vt vocabat, ad Papatũ reuocatos esse, eiusmodi colloquijs meminisset. Itaque maluit, sicut ait Tertullianus, ab Hosio non audire, quod auditum non posset damnare. Idem etiam in Nicolao Reyo, qui tum in lingua nostra Polonica, eloquentiæ laudem assecutus videbatur, & ingenio quoque abundare putabatur, ad Ecclesiam & officium reuocando, studium adhibuit; cum quo semotis arbitris, per vnam sæpe & alteram horam sermonem bene longum habuit. Cupiebat autem ipse quoque Rex, his tãtis blasphemijs, & immortalibus odijs finem tãdem aliquem in Regno suo ponere, ac si quę possent iniri cõstituendę vnitatis rationes, Episcoporum sententias perquirebat: nec deerant qui in amplissimo Regni consessu Senatorum sententias, de vnitatis & concordię ratione, inter Catholicos & hęreticos ineunda perquirendas esse censuerunt, nisi Hosius intercessisset, qui rogatus sententiam respondit; Quod cum animo suo diligentissime reputauerit, vias & rationes omnes, quibus possit inter dissidentes de religione pax & concordia stabiliri, nullum reperire potuisse magis salutare consilium, quam quod in simili causa, cum idẽ, qui nunc, olim esset rerum status, à Sanctissimis & doctissimis Episcopis Athanasio & Augustino, ante 1200. fere annos datum esse legerat. Volunt, ait Augustinus, vnã habere linguam, veniant

niant ad Ecclesiam, vbi etiam in diuersitate lin guarum carnis, vna est lingua cordis. Excipientur ab illa non minus alacriter, & benigne, quam prodigus ille filius à patre suo fuerat exceptus. Tum vt etiam dicant & faciant, quod suadet Athanasius: Surgite, abeamus ad Patres nostros, & dicamus illis: Anathemate detestamur Lutherũ Caluinum, & omnem aliam hæresim: agnoscimus autem S. Oecumenicam Tri dentinam synodum, eique dicto volumus esse audientes. Præter hanc se nullam aliam concor diæ rationẽ inter Christianos & hæreticos, vel legisse, vel excogitare potuisse. Nam & in scripturis legimus, quod cum Agar ancilla à facie Saræ dominæ suæ fugeret, sicut isti nunc à facie Ecclesiæ Dei fugiunt, Angelus Domini pacis & vnitatis amator, cum eã in vasta solitudine, inuenisset, & pacem inter eam & Saram facere vellet; Reuertere, ait, ad dominam tuam, & hu miliare sub manu illius. Sic & vos si pacẽ amatis, facere debetis. Reuertimini vnde fugistis, ad dominam vestram, vnam sanctam Catholicã, Apostolicam, Ecclesiam. Reuertimini & humiliamini, alioquin in deserto & in solitudine peribitis. Quod autem huius diuisionis & dissensionis, culpa omnis in Episcoporum negligentiam à quibusdam conferatur, quod errantes non doceant: culpam eorum potius esse ostendebat, qui nec doceri, nec moneri volunt, sibique scripturarum intelligentiam arrogant, sibi

veritatem reuelatam comminiſcuntur, cęteros omnes truncos, ſtupidos, bardos reputant: ſe non ita pridem id ipſum pertentaſſe, vt viam veritatis cuidam erranti demonſtraret, verum illum ad audiendam veritatem aures accommodare nullo pacto voluiſſe. Quid igitur facerēt Orthodoxi Epiſcopi in tanta hominum tamq; obſtinata cæcitate? Nullius ſalus poteſt eſſe magis deplorata, quam qui ſe ægrotum & infirmum ignorat. Tenere ſe præterea dicebat memoria, quem fructum olim in Germania, peperiſſet illa concordia, quæ in libello, Interim vocato, conſtituta videbatur: qui motus, qui bellorum ſtrepitus, quę clades ſint ſubito conſecutæ, quam longe maiores progreſſus, vniuerſa Sectarū colluuies fecerit. Sed & in Gallia quis ſit rerū ſtatus, poſt tot ſymbleas, ſiue collationes, ſiue conciliabula, in quibus de pace deq; cōcordia tractabatur, cōſecutus, quis eſt qui nō videat? Fuit Regnum illud vnū omniū florentiſſimum: nunc eò redactum eſt, vt nullū eſſe calamitoſius videatur. Si Turcarum tyrannus, cum quamlibet numeroſo exercitu totam Galliam peragraſſet, maioribus eam cladibus, & infortunijs afficere non potuiſſet. Nec certe fieri aliter poteſt. Qui enim fidem in Chriſtum abiecerunt, & eius loco Sathaniſmum aliquē amplexi ſunt, apud eos etiam ea fides perijſſe exiſtimatur, qua ſocietas hominum inter homines conſeruatur. Poſtquam Sathanæ Verbum,
Dei

Dei verbũ appellari cœpit, factum est, vt summa impietas, maxima religio, summum scelus, maxima virtus, vocaretur. Ita sunt rerum quoque nomina commutata. Certe post illam Possiacẽ Symbleam, post tot alia Conuenticula, post diuersas paces & concordias, factas & infectas, ausus est Theodorus ille Beza, quo nil vel cogitari potest magis impium, quique natus propterea videtur, ne vnus omnium Lutherus impurissimus videretur, & scribere, & prædicare, quod Sacrificium Deo gratum præstaret, si quis Principes viros, quibuscunque tandem insidijs trucidaret, quodque non alia via promereri Regnum cælorum citius liceret: cuius etiam hortatu factum est, vt alter ille Machabæus, Christianæ fidei fortissimus propugnator, Guisius Dux, per summum sacrilegium ex insidijs a Poltroto necaretur; neq; dissimilia tentata sunt, contra Reginam Scotiæ, & Ducẽ Sabaudiæ. Nõ pacem isti cupiunt, non concordiam appetunt, sed sub pacis & concordiæ pallio, sceleribus suis, & audaciæ impunitatem quærunt. Quænam enim tranquillitas esse potest in tempestate? quæ cõcordia in studiorum & sententiarum dissimilitudine? Se quidem in ea esse opinione, quod ea res non ad pacem & tranquillitatem sed ad motus, ad bella, ad seditiones excitandas pertinet, si mendacij veritas arguatur, quæ dicit, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: & veraces esse homines cen-

sceantur mendacissimi Zuuinglius, & Caluinus, qui dicunt non est corpus, non est sanguis, sed significat tantum corpus, vel, est figura corporis. Quamobtem iterum atque iterum clara voce se pronunciare, quod concordia, aliter coire inter Christum & Hęreticos non potest, nisi vt eò reuertantur hæretici, vnde per summam audaciam discesserunt, ad vnam, Sanctam, Catholicam, Apostolicã, Romanã, Ecclesiã. Absit autẽ vt eorũ quoq; voces audiantur, qui putant concordiam non difficulter esse, inter dissidentes coituram, si Decreta omnia S. Concilij Tridentini legerentur in Comitijs, coram omnibus ordinibus Regni, & expenderentur, an rectè se habeant. Quidquid communi omnium consensu receptum & approbatum esset, id sequerẽtur omnes, nec fas esset cuiquã ab eo discedere. Sicut enim fas non est, in Comitijs particularibus alicuius Palatinatus, Decreta generaliũ Regni Comitiorum rescindere, ac ne disputare quidem, num rectè se habeant; ita ac multo etiam minus, fas est de Concilij Oecumenici decretis, num recte se habeant, in vnius Regni Comitijs disputare. Multo sanctior esse debet Conciliorũ, quã Comitiorũ auctoritas: cum hoc sit, ac minus etiam, Regnũ Poloniæ, cũ Orbe toto Christiano collatũ, quod est Palatinatus Cracouiẽsis vel Posnaniẽsis, cũ toto Regno cõparatus. Executione non disputatione opus esse, de qua, quod nonnulli supplicandum

dum esse Regiæ Maiestati censuerunt. Se in ea opinione esse, quod nō omnis executio ad Regiam potestatem pertineat. Nam Regis munus nō aliud esse, quam vt eam doctrinam quę tradita est à Patribus in Concilio congregatis, ab omnibus firmiter & inuiolabiliter obseruari præcipiat, sicut olim ab Imperatore Constantino, Theodosio, Valentiniano, & alijs factum esse legimus: cum subditis sibi populis præciperent, pœnis etiam interpositis, vt cessaret omnis prophana contentio. Iniuriam enim fieri religiosissimæ Synodo putabant, si quis semel iudicata, & rectè disposita reuoluere, & publice disputare contenderet. Immo vero, impius & sacrilegus est, aiunt, qui post sacerdotum sententias, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commenticium lumen inquirere; Quisquis enim post veritatē repertam quid vlterius discutit, mendacium quærit. Cæterum quod ad executionem reformationis in Concilio constitutæ attinet, eam ad Regiam potestatem nequaquam pertinere, sed ad Synodum prouincialem esse reijciendā, vt in ea ratio inueniatur, quemadmodū adduci Clerus omnis posset, vt vitā moresque suos ad præscriptū Concilij componeret. Neque enim expedit de moribus Ecclesiasticorum reformādis, in Principum sęcularium præsentia deliberari, cum nec Imperator Constantinus legere

voluerit, quæ illi de corruptis quorundam Epi scoporum moribus oblata fuerunt, in Concilio Nicæno, & scriptura velare patris verenda præcipiat, non manifestare. Quod autem ad disciplinam attinet, de qua etiam in comitijs agẽdum esse quidam existimant, esse dicebat, disciplinam militarem, esse disciplinam polyticam, quæ in Regni constitutionibus continetur, de his duobus in Comitijs generalibus agi recte posse. Esse postea disciplinam Ecclesiasticã, de qua absit, vt in Comitijs tractetur: cum in Synodo ea de re agendi locus sit multo commodior & magis etiam proprius.

CAPVT XXIII.

HIS & alijs multis rationibus coram Rege & Senatu, cum publicè, tum priuatim propositis, rogare, monere, obsecrari, obtestari, non cessabat, vt Regia Maiestas in consortio Apostolorum & Prophetarum securè & constanter permaneret: vt despiceret, ac ab auribus suis repelleret eos, qui se Christi nomine & titulo priuauerunt, nec pateretur, sicut olim Leonem Pontificem Leoni Imperatori dixisse legimus, impios parricidas, sacrilega simulatione de fide agere, quos constat à fide deuiare. Nihil posse orthodoxi Regis pietatem religiosius decernere, quam vt ea quæ nõ tam humanis, quam diuinis sunt instituta decretis, nullus vltra sinatur impetere: ne vere digni sint

Dei munus amittere, qui de veritate ipsius ausi essent dubitare. Nam si recte constituta licuerit conuellere, & auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum corrigendæ fidei, & Ecclesiæ modum ponere, nil aliud consequetur proculdubio, quam permissa semel licentia dubitãdi, dilatare magis quam sopire certamina. Priuatim etiam hortari obtestarique Regem nõ destitit, vt maiore studio ad defendendam religionem incumberet, non verbis tantũ, sed re & exemplo, se Catholicũ, & Orthodoxum Regẽ ostenderet, ne conniuentia sua & dissimulatione diuturna Christi perduellium audaciam aleret: meminisset extremi illius iudicij, in quo de subiectis sibi populis, rationem Deo reddere cogetur: existimationis quoq. suæ potissimam rationem duceret, quam non leuiter labefactari necesse est, cum in Regno suo omnia licere videãtur Christi perduellibus hæreticis. Quãobrem ipse quoque, si tantum non audet, quãtum pro sua perfidia hæretici, saltem aliquid tamen Rege dignum pro fide Christi audeat, nec omnem folij strepitum timeat. Ausum esse Nicolaum Radzyuilium Palatinũ Vilnensem siquid ab eo petebatur, non suis, sed Maiestatis eius subditis sæpe respondere, quod ea quæ peterent impetrare facilius possent, si Christum confiterẽtur (Christum autem vocabat Caluinum, aut fortasse etiam Talmud vel Alcoranũ,

nam

nam ex vna perfidia saltitabat in aliam) ac ita multos, à vero Christo in Bethleem nato, & pro nobis crucifixo, & ab eius Ecclesia, spe dignitatis, aut etiam alicuius commodi proposita abduxisse. Cur idem non faceret cum subditis suis Maiestas eius, vt dicat ijs qui gratiã Regiam, qui dignitates, qui munera, qui reditus petunt. Oportet prius Christum in Bethleem natum confiteri? Proculdubio mox ad futurum esse diuinum auxilium quod multorũ opinione faciliora omnia, & expeditiora præstaret. Quo diutius, auxilium inclinatis rebus adferre differt, hoc magis sibi ad Dei gratiam aditum obstruit, hoc magis irã eius prouocat, dum quotidie ipso vidente, tot millia animarũ pereunt, & ipsius quoque animam in profundum barathri trahunt, qui tot animarum interitum, cum vel vno verbo potuisset, impedire noluit, vel suæ ipsius animæ tandem misereretur, Ecclesiarum quoque vastitates, templorum incendia, Sacramẽtorum prophanationes, sacerdotum cædes, bonorum direptiones, omni suo studio conatu, Regiaque potentia sua prohiberet, seque ijs quibus prognatus est maioribus, eoque loco quem tenet, dignum præstaret: ad Deum confugeret, illi se totum permitteret, orationibus & eleemosynis peccata sua redimeret, ac vitam suam in melius commutaret. Quæ omnia cum pius Rex attentissimè audiuisset, tanquam è cælo delapsum S. illum

lum Stanislaum, & alterum illum Regum domitorem Sbigneum Cardinalem, coram aspiceret, in lachrymas eripuit, atq. ad genua loquẽtis Hosij prouolutus, cum fletum repressisset; Scio, inquit, quod nemini vnquam adulari cõsueuisti, & pro salute mea tantũ loqueris, quidquid loqueris. Ago tibi gratias, quod me, qui præcipue indigeo, tanta libertate, ad ea quæ sunt mei muneris adhortari non desinis. Talem te semper cognoui, & salutis & honoris mei cupidissimum, talem nunc experior. Perge vt hactenus fecisti, Dei mihi annunciare voluntatẽ, & pro Regni nostri quiete Domino supplicare nunquam intermitte. Nouum Ambrosium, & alterum Theodosium diceres.

CAPVT XXIIII.

SED interim tamen accidit, quod olim dixit Ethnicus ille; Nunquam apertius quam coram Catone peccatum est. Quo magis erat optimus Rex contra hæreticos inflammatus, quo maiore conatu consilijs eorũ duo amplissimi Cardinales Hosius & Commendonus obsistebant, eo audacius & impudentius perfidiã suam Christi perduelles propagabant. Ausi enim sunt in illis ipsis Comitijs Trideistæ contra Caluinistas, in disceptationem vocare, Nũ Christus sit Deus. Quam indignitatem cum

Hosij piæ aures ferre nō possent, nec esset qui tanti sceleris, quas merebantur pœnas expeteret, immo vero ad Ecclesiasticam quoque Iurisdictionem labefactandam manus violentas inijcerent, vt omnem auctoritatem, & potestatem Episcoporum euerterēt, postquam officij sui Regem, Episcopos, cæterosque Regni Senatores, iterum atque iterum monuisset, ac per viscera misericordiæ Dei obtestatus esset, vt tantam hanc audaciam reprimerent, iniuriam Iesu Christi filij Dei uiuentis vindicarent, ne terra aperiens os suum disputatores istos deglutiat, ne ve ignis de cælo descendens, etiam reliquos consentientes, hoc est, non prohibentes consumat, separare se à tabernaculis impiorum constituit, ne peccatis eorum inuolueretur, ac statim etiam ex Comitijs in Prussiam se recepit: quo in itinere multis cum lachrymis illud Polycarpi memorabat; Bone Deus, in quæ tempora me seruasti? Tum et illud Hieremiæ: Misericordiæ Domini, quia non sumus cōsumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Regem quoque per litteras hortatus est, vt iurisiurandi sui memor, quod inauguratus in Regnum, & cum coronaretur præstitit, Christi iniuriam vindicaret, Sacerdotum eius iura, & authoritatem tueretur, nec innouare quidquam in religione pateretur. Hoc enim moliri nouatores istos, vt ad Atheismum homines inducant, abrogato Sacerdotio, atq; sacrificio, quo

quo ſolo Deus propriè agnoſcitur, quo ſic deſertis Eccleſijs, & paſtoribus ſuis deſtitutis, propter alimenta negata, quæ vix aliunde, quam ex decimis habere poſſunt, homines Deum cognoſcere, eumque colere deſinant.

CAPVT XXV.

IN Epiſcopatum veniens ad ſcribendum ſe contulit eum libellum quem Iudicium & Cenſuram de Iudicio & Cenſura Heildebergenſium, Tigurinorumque miniſtrorum vocauit, in quo omnibus oſtendere conatus eſt, nō minus Lutheriſtas & Caluiniſtas, quam Trideiſtas & Anabaptiſtas Deum negaſſe, neç magis illos à Chriſtianis Principibus, quam iſtos tolerandos eſſe, cum illi nullam ab Eccleſia, iſti magnam ab illis diſcedendi ſeparandique ſe cauſam, & occaſionem habuerunt: nec vnquā defuturos eſſe filios, quamdiu parentes fuerint, ſuperſtites. De concordiæ quoque rationibus multa ibidem diſſerit, quò nos lectorem remittimus. In hoc autem libro conſcribēdo, orationum maximè præſidio vſum eſſe vidimus, & accuratiſſimam rerum omnium conſiderationē adhibuiſſe. Poſt orationē autē matutinā, ad meditationē ſe cōferebat, in qua tā fixo animo cernebatur, vt quādoq. raptus eſſe videretur; & cum aliquando induſiū, quo erat [illegible] gēti lumē mi

niſtrabat,

niſtrabat,ignē concepiſſet,non prius ſenſit pe-
riculum , quàm ad corpus ipſum incendium
peruaſiſſet , ac minimè profectò inſignem ali-
quam in corpore ſuo plagam euaſiſſet, niſi qui
ſcripſit hæc caſu quodam in cōclaue ingreſſus ,
è media flamma, detractis veſtibus virum Dei
liberaſſet. Vidimus aliquando corporis pellem
in humeris eius multis frictionibus, quibus ad
tuendam valetudinem ex præſcripto medico-
rum vtebatur, vſque ad ſanguinem laceratam,
cum interim toto animo & cogitatione le-
ctioni ſtudioque deditus, nullam ipſe moleſtiā
aut dolorem, niſi cùm in ſe reuerſus eſſet, ſenti
re videbatur . Sæpè etiam accidit,cum aliquid
amanuenſi dictaret , quod facere ambulando
conſueuerat,vt in parietem, aut in poſtes , aut
in repagula feneſtrarum frontem aut humeros,
meditabundus tàm grauiter impingeret , vt in
multos dies læſionis indicia apparerent . Sole-
bat autē eos quoq; qui dictātis ſermonem ex-
cipiebant, interrogare, num quæ ſcribebantur,
omnia intelligerent : & ſi quid durius dictum
videbatur ita moderari,vt ſenſum ſcriptoris ſi-
ne multo labore conſequi quiſque poſſit; ſeq;
animis non auribus hominum ſcribere memo-
rabat.& h[illegible] vnũ ante omnia laborare. vt quæ
ſcribun[illegible],legentes intelligerēt, & proficerēt.
ornatus & delectationis poſtremam ducere ra
tionem. Qui enim nouit,neque id quod ſentit,
explicat,perinde eſt atque ſi neſciret.Satius eſt

mutum esse, quàm quod nemo intelligat, dicere. Fuit autem hic liber exceptus maxima Catholicorum gratulatione multorumque iudicia de solis Trideistis & Anabaptistis eijciendis, tùm etiam de rationibus concordiæ constituendæ, ad potiorem sentẽtiam reuocauit. Vicissim autẽ hæreticorũ animos, & maximè Geneuensis illius Mercurij, Theodori Bezæ Galliæ turbatoris, quem, si viueret Athanasius, ipsissimum Christicidam & legirupam diceret. non leuiter conturbauit. Is enim & libris editis, & missis in Poloniam Synagonistis, vt vocat, hanc a suo grege notam amouere conatus est, vt ne eodem loco & ordine cum Trideistis Caluinistæ censerentur, neue sectæ suae & impietatis administri, ex illius Regni finibus vllo pacto pellerentur. Hosij quoque censurã & consilium boni, vt ait, Cardinalis, hanc enim vocem ex illis impurissimis faucibus, vis veritatis extorsit, & nescio cuius ominis causa Hosium vocatũ in sua, in obscœnissimũ illum, auctoreque suo dignissimum Martialis Epigrammatum libellum, præfatione, ad Dudecium Sbardelatum Apostatam scripta asserit, mirabiliter exagitat, quod cursum Euangelij sui impediuerit; quod æque Caluinistas sicut Trideistas Christum negasse dixerit. quòd Synagonistas faces bellorũ, seditionũ auctores, & Rerũ publicarũ turbatores vocauerit. Hosius autem memor illius quod scriptum est, Eijce deriso-

risorem & cessabunt iurgia, omni vicissim adhibita diligentia laborabat, vt in ipsos præcipue Bezanos Synagonistas, Parcouieñ decreti executio fieret, & ex omni Regis ditione excedere primo quoque tempore iuberentur. Ac vt ne quid intentatum relinqueret, magnatum & heroum filijs & necessarijs, quos in fide Catholica pietatisque studijs domi suæ educandos curabat, litteras dictare non verecundabatur, quibus parentes suos, fratres, affines, amicos & quoscunque in aula, & in tota Repub. Polonorum, gratia & auctoritate valere sciebat hortabantur & obtestabantur, vt istos Helveticos Synagonistas, tot iam funeribus Reipublicæ Christianę exultantes, qui semper versantur in spe rerum nouandarum, ocio & tranquillitate Reipub. consenescũt, faces bellorum ciuiliũ notissimas, Regijque dominatus & vniuersæ Nobilitatis capitales inimicos, homines planè μισέυγενους, ex Regni Poloniæ finibus exterminandos curarent, & in hoc præcipue studium incumberent, vt quam à maioribus suis, tam Religionis quam Reipublicæ formam accepissent, eam filijs posterisque suis inuiolatam relinquerent. ne vobis, aiebant, & ijs qui vos genuerunt, & diem quo à vobis editi in hanc lucem sumus maledicere cogamur, si nobis turbatam per istos Bezanos synagonistas patriam turbatam religionē, turbatā, Rempub. violatas leges, diuina humanaque iura labefa-

befactata, sursum deorsum conuersa omnia relinqueritis, & auram istam libertatem, in qua & vos, ex auis, atauis, abauis vestris, & nos ex vobis patribus nostris, nati educatique sumus à nescio quibus Helueticis rusticis, & agrestibus magistris, turpiter opprimi, nosque in perpetuam seruitutem, quæ certè in libertate edu catis grauior accidere consueuit, tradi permiseritis, sicut vicinis nostris accidisse videmus qui statim, vt maiorum suorum fidem reiecerunt, libertatem amiserunt. Sed si libet insanire, dabimus vobis iuuenile consilium, Gregorij potius Trideistæ perfidiam, ab homine tamen Polono, ab inferis reuocatam recipite, quàm nos sub Augustanæ ciuitatis, vnde prima illa confusio prodijt, quæ tot iam nobis hæreses peperit, & ab ipsis Lutheranis vocatur ocrea Polonica, vtrique pedi apta, hoc est, omnibus hæresibus conueniens, aut sub aliquot Helueticorum Cantonum & Sculteto rum iugum & seruitutem submittite. Num enim Augustanæ ciuitati? num Helueticis Cantonibus subiecti sumus? Cur non potiùs cum maioribus nostris, cur non cum Rege & Domino nostro; quem Christianum, Catholicum, & Orthodoxum esse constat, conuenimus? Certè admonet nos S. Paulus, vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Et quidã Ecclesiæ S. Doctor ità loquitur; Quicquid est extra vnam fidem, non fides sed perfidia est. O quanta pax fuit, quanta con

cordia in patria nostra, cùm maiores illi nostri, nil aliud scirent, quam Iesum, & hunc crucifixum, nihil aliud profiterentur, quam, Credo in vnum Deum, &c. nil aliud canerent, quàm Boga rodzica, & istorum Pelopidarum nomina prorsus ignorabant. Nullus tũ fuit Lutherus, quem putatis veram veri colendi Dei ratione hoc sæculo in orbẽ Christianũ inuexisse. Credebant in vnum Deum, sine Gentili, sine Serueto, Blandrata, Gregorio. Habebant sacramenta sine Luthero. Comedebant corpus Christi sine Caluino, iustificabantur sine Osiandro. Baptizabantur sine Dauide & Pacimontano. Matrimonia iungebatur sine Ochino. Credebant & erant in Ecclesia sine Fricio. Huic fortissimo adhæserunt, propter hanc viuere voluerunt. pro hac mori etiam non dubitauerunt, cæteras cupiditates, siue gloriæ, siue propagandę dominationis, huius vnius ingenti cupiditate presserunt. Si Rex ille Iagello, ille quasi Lithuaniæ quidam Apostolus, hoc tempore viueret: qui, quam vos ita persequimini, quamque cane peius & angue odistis Ecclesiæ doctrinam, subiectis sibi populis, tenendam proponere doceréque non erubuit. cuius os fortasse non auderetis aspicere, ipse vos proculdubio ab hac impudentia prohiberet, qua ei, quam tenuit quamque etiam docuit fidei & doctrinæ tàm acerbè repugnatis. Quid enim, quæso, causæ habetis, vt ab illa

Iagel-

Iagellonis, & ab ea ſimul, quam abnepos eius conſtantiſſimè retinet, Sigiſmundi fide recedatis? & Eccleſiaſticorum conatibus tanta contẽtione reſiſtendum putetis, niſi quia vos ſuperbi eſtis, illi humiles fuerunt. Vos extra Eccleſiã immò ſupra Eccleſiam; illi in Eccleſia eſſe & cum Eccleſia ſentire voluerunt. Illi in Religione vnitatem, & in Republica pacem; vos religionem euerſam, veſtramque licentiam, luxuriam, cupiditatem, audaciam, cupitis habere ſecuram, & in iſta quiduis credendi audendique licẽtia, perditiſſimiſque moribus, remota omni moleſtiarum aſperitate, diffluere. Neque enim quam ità obtenditis pacem & tranquillitatem & ſecuritatem. propterea cupitis habere, vt pacem ſeruetis, & veritatem inquiratis: ſed vt de veſtra pelle ſecuri, vitæ fortuniſque Catholicorum inſidias tendatis, diuinaque ſimul & humana iura euertatis: vt ſitis ad extremum ſine lege, ſine Rege, ſine Ephod & Teraphim, & quod inde ſequitur, ſine Deo. Ac tantum certe iſta ſua vigilantia, per ora infantium, Hoſius profecerat, vt aut ſtatim ex Regno excederent iſti Bezani Synagoniſtæ, aut certè, cùm ſibi frenos furoris iniectos ſentirent in aliquibus tenebris & obſcuritate latitarẽt. Nil enim poſteà certi aut comperti de conatibus eorum accepe ramus,

Capvt XXVI.

GRassabatvr interim in vicinis Prussiæ ciuitatibus pestilentiæ contagio: cuius acerbitatem, vt à subiectis Ecclesiæ Varmiensis populis auerteret, nihil prorsus intẽtatum prætermittebat, quod ad boni Pastoris, & salutem gregis sui, non minus quàm salutem suam diligentis, officium pertineret. Orationibus instabat sine intermissione, & de sanguine cordis sui, sicut ait Augustinus, diebus ac noctibus per lacrymas oculorum suorum, Domino sacrificabat. Eleemosynis quoq; per omnia Xenodochia distributis, Deum placare conabatur, & reliqua etiã humana præsidia adiungebat. Egentes victu & pecunia subleuabat, eiectos & palantes colligere in suburbana prędia iubebat & nutrire. Quoties ex oculis eius lacrymas, salutem populorum à Domino postulãtes emanere vidimus? Sępe exęquatis cordis intentioni oculis, clamabat ad Dominum. Ego sum qui peccaui, & ego iniquè gessi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me. Dic Angelo percutienti populum, Sufficit; & contine manum tuam. Manum ipse quoque suam vertit contra se, vt manum Dei auerteret à populo suo. Qua acerbitate, qua tolerãtia, quo animi robore, loqueremur, si possemus; si nõ impediremur nõnullius

nullius officij religione. Sed hæc ita præteribimus hoc tempore, vt tamen intuentes & respectantes relinquamus. Vidit autem Dominus serui sui fidelis, plusquam paternam sollicitudinem, neque despexit orationem pauperis. Nā cùm tota vicinia lue pestifera laboraret, Varmiensis Ecclesiæ populi, lęsionem non senserunt. Non possumus autem, quin & hoc plenùm singularis in Deum fiduciæ argumentum memoremus. Vocauerat ad se, vt iam diximus, ex Italia & Germania Patres Societatis Iesu: quorum opera in recte instituenda iuuentute, & in verbi Dei prædicatione vteretur. Transierunt illi per multas peste infectas ciuitates, & in aliquas etiam diuerterant, idque etiam ante arcem Heilspergensem, vt res erat, confessi sūt. Hos cùm Hosius aduenisse cognouisset, incredibili lætitia gaudioque cumulatus, recordatus est, inquit, mei Dominus, nec me voto meo frustratus est. Sit nomen Domini benedictum. Sed cum vocaretur à domesticis in dubium, vtrum in arcē statim essent admittendi, an alio prius ablegandi, dum statui certò possit, vtrum in locis infectis aliqua illis contagio adhæsisset, ne & familiam vniuersam inficerent, & Hosio quoque periculū vitæ crearetur. In vespertinis, inquit, precibus (erat enim vigilia Omnium sanctorum.) rogabimus Dominum, vt nobis consilij spiritū largiatur. Absolutis autē vesperis, multum fidens immensæ Dei miseri-

cordiæ, cum se familiamq, suam, & subiectos sibi populos, Diuinæ bonitati commendasset, Patres illos venerandos in arcem admisit, ac velut Angelos Dei, non minori gratulatione, quam olim Paschasius Episcopus, B. Hermelandum cum socijs ad erigendum monasterium aduentãtem, accepit, omnibusque humanitatis officijs prosecutus est: nec est ulla pestilentiæ contagio consecuta.

CAPVT. XXVII.

EODEM fere tempore datis ad Hosium litteris Rex ab eo Sigismundus postulabat, ut in Hispaniam, ad Philippum Regem Catholicum proficisci uellet: ac de materna sua hæreditate, Baren. & Rosanensi Ducatu, quem Regina Bona mater, in regno Maiestatis eius Neapolitano moriens reliquerat, deque cæteris ad causam hanc pertinentibus negocijs & difficultatibus, ex sua et vniuersi regni Poloniæ dignitate & utilitate transigeret. Cui Hosius, quamuis ætate prouecta, curisque publicis & studijs pene exhaustus esset, responsum ei non absimile dedit, quod dederat olim Regi Vulagislao, Sbigneus ille Cardinalis, Episcopus Cracouiensis, cum ad Conciliũ Basiliẽses profecturus esset, in eã fere sentẽtiã. Quod sicut nullum in omni uita sua laborem, nullũ periculum, religionis patriæque suæ causa, unquam

quam detrectauit, sic ne hunc quidem, quamuis molestum & diuturnum in Hispaniã proficiscendi laborem, Regis, Domini, & benefactoris sui causa, à quo tantis beneficijs esset cumulatus, detrectare, aut velle, aut posse. Sed quoniã duas res maximè obstare videbat, quo minùs speraret se posse maiestati eius vtiliter inseruire, apud eum præsertim Regem, apud quem nihil est hæreticorum perfidia & separatione detestabilius, qui re et nomine vere Catholicum Regem agit, nec fere quicquam commune habere vult, cum his qui matrem Ecclesiam nõ agnoscunt. Ante omnia supplicare se, vt Maiestas eius aliquam prius significationẽ dare velit, se quoque ab omnibus hæreticis & animo & voluntate esse valde alienum: & saltem istos hæreticorum ministros, Bezanosque Synagonistas, qui nomen et existimationem Maiestatis eius, in orbe toto Christiano, insigni macula polluunt, dum illi fœdissimos et hæreticissimos libellos dicare non verentur, & regnum eius, asylum Hæreticorum vocare non dubitant, ex Regno suo priùs excedere iubeat. Deinde verò vt Serenissimam reginam coniugem suam charissimam, Catholicæ maiestatis sororem, omnibus studijs & officijs, amãtissimo coniuge et marito dignissimis, ita cõplectatur, vt frater eius, ad ea, quæ maiestatis suæ nomine petiturus esset, concedẽda, magis etiã inflãmari queat. Sic enim existimo, ait, quod si

tei hoc tam longum , in hac fere iam decursa ætatis meæ parte, suscepero, quod nec patriam meam charissimã, nec faciem M. V. amplius videbo. Sed vilis est mihi futura corporis huius iactura, vilis quoque iste spiritus, vbicunque tandem eum Dominus à me repetere voluerit, dũmodo hæc duo, quæ peto, antequam ex patria pedẽ efferã, opera Maiestatis Vestræ perfecta videam. Cantabo cum Simeone proficiscens. Nunc dimittis seruũ tuum Domine, secundũ verbũ tuum in pace. Quia viderũt oculi mei salutare tuum. Nec dubito, si Maiestas V. Christi causam contra hostes eius hæreticos strenuè tuẽdam & defendendam susceperit, quod Christus vicissim Maiestatis V. causam; apud regem Catholicum promouebit: mihique fortunatũ iter & salutaria consilia suppeditabit, & consẽtientes desiderijs nostris exitus largietur. Cæterum à suscepto consilio propositaque sententia serenissimus Rex postea destitit.

CAPVT XXVIII.

PIVS autem. V. qui tum Pio IV. successerat, Pontifex zelantissimus, cum is quoque de Hosij præstantia omnia summa cognouisset, nil tale cogitãtem, suum & S. sedis Apostolicæ ad Synodum prouincialem, & in vniuersa Diœcesi Varmiensi, Legatũ pronuntiauit, amplissimo & pietatis & eruditionis & animi ze-

lantiſſimi teſtimonio, in vniuerſo fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſenſu attributo: quem etiam & publice & priuatim, columnã religionis vocare non dubitauit. In quibuſdam certe litteris eius, ad Hoſiũ datis, hęc verba legimus. Quia hæreticorum mores nouimus, & odium quo Eccleſiã Catholicã, & Eccleſiaſticũ ordinẽ inſectantur, dubitamus eorũ fautores in Comitijs iſtius regni molituros, quicquid poterunt aduerſus Religionem Catholicam. Itaque pro officij noſtri munere, cohortandos & admonendos duximus venerabiles fratres Archiepiſcopum Gneſneñ, & ſingulos Regni Epiſcopos, vt tali tempore officij ſui memores, vna mente, aduerſarijs ſeſe opponant. eorumque pernicioſis conatibus conſtanter obſiſtant. Hac te hortatione non egere ſcimus. Nouimus enim perpetuum ac ſingularem tuũ zelum Diuini honoris. In memoria habemus maxima tua erga religionem Catholicam merita. Itaque confidimus, non modò non expectaturum te hortationem noſtram, ſed tuis ipſius cohortationibus, excitaturum eoſdem Epiſcopos, ad præſtandum fideliter Deo & Patriæ, & gregibus ſibi commiſſis officium ſuũ, & laicis Catholicis ijſdem Comitijs de more interfuturis cauſam Religionis diligentiſſimè commendaturum: omnibus denique officijs cum Sereniſſimo Rege & alijs functurũ, quæ pietate erga Deum tua. & fide ac deuotione erga

ga sedem Apostolicam, cuius insigne atque honorabile membrum es, digna sint. Interea vero nos non sine maxima animi sollicitudine exitum Comitiorum istorũ expectabimus: quæ nos sollicitudo cogit, licet hortatione te non egere nos scire diximus, tamen non modo hortari te, sed etiam obtestari, vt omni studio, cura ac diligentia hæreticorum consilijs occurras, & ad religionem Catholicam tuendam ita incumbas, vt exemplo tuo Catholicis omnibus animos augeas. Et in alijs litteris. Quod ad istud quidem Regnum attinet, certum habemus, te, qui tam præclarum & honorabile mẽbrum es huius S. Sedis, pro tuo singulari Diuini honoris zelo, fidelem & vtilem admodum adiutorem nobis paratum esse, & diligẽtia tua sollicitudinẽ nostram, cuius in partem vocatus es, nobis esse non parua ex parte leuaturum. Quod vt de te nobis pollicemur, ita te confidere volumus, non prætermissuros nos, vllum officium ipsi Regno opportunum, quod à nobis in hac sede constitutis, proficisci possit. Erga te verò ea voluntate sumus, qua pro tua spectatissima integritate & innocentia, ac magnis in Religionem Catholicam meritis esse debemus. DEVS te pro nobis orantem, dilectissime fili, incolumem custodiat.

CAPVT

Capvt XXIX.

SVb hoc fere tempus excitati fuerunt, in ea Prussiæ parte, quã Albertus Marchio Brandeburgeñ occupabat, noui quidam & periculosi motus: ita vt quædam inclinatio ad defectionem facta fuisse videretur, leuis illa quidẽ initio, sed quæ magnam secum periculorum molem traxisset, nisi oppressa in ipso ortu suo fuisset. Verum deprehendit quoque hæc initia vigilantissimus Hosius, ac primus omniũ Regẽ admonuit, impendentis discriminis: ac singula pene momenta rerũ ac temporum obseruabat accuratissime, notabat omnia, expiscabatur. ac de remedio tempestiue adhibendo, cum Regem ipsum, tum Regiæ potentiæ ministros. admonebat, tanta assiduitate & diligentia, vt nonnulli delicatuli Proceres, qui blanda semper audire Regibusque suis proponere consueuerant, quos honoris causa prætereo, litteras eius, velut pungentes stimulos fastiderent; ac maiorem esse Hosij metum, quam periculi magnitudinẽ dictitarẽt. Nec deerant, qui curã hãc Regni senatore dignissimã illis ipsis verbis perstringerent, quibus olim in simili causa Gregoriũ Nisibis Episcopum, cum Iustinũ Imperatorẽ, de Cosroe Persarũ Regis machinationibus, pari fide studioq; admoneret, & Gregoriũ Magnũ Pontificem Mauricius Imperator perstrin-

ge-

gebant. Delirat, dicebant, præ senectute Hosius. Porrò Sigismundus Rex, cui erat Hosij vigilantia, & in Reges suos fides, ac in vniuersam patriam summa pietas perspectissima, Hosij verbis fidem adhibuit. Commissariosq; suos in Prussiam deputauit, qui nouos quosdam octogenarij Ducis, bis pueri Consiliarios hæreticos, cum fraudes eorum & conatus omnes perfidiæ plenos detexissent, ac arma vimque paratam deprehendissent, pœna capitis damnauerunt, cuius etiam vigilantiæ præclarum in vniuerso senatu Regni testimonium Rex ipse perhibuit; cum ab Hosio patriam infinitis casibus & periculis ereptam, ac propterea patris patriæ laudem promeritum pronunctiaret.

Capvt XXX.

Ad eundem autem Ducem, Regis itidem precibus adductus, paulo ante motus istos suscitatos, cum Ioanne Kostka Palatino Sandomirieñ viro perspicacis ingenij, & animi magnitudine in patria nostra quondam celeberrimo profectus erat Hosius, vt nascentibus malis, pro sua prudentia remedium adhiberet. Acceptus à Duce fuit humanissimè, sed à ministris eius Lutheranis, Lutherano more tractatus. Cum enim esset Quadrages. tempus, ministri Ducis, Lutheri discipuli, totius abstinentiæ hostes perpetui, vt Hosio imponerent, fer-

culis

culis omnibus carnes, & lacticinia admiscebant; sed fraude deprehensa, iussit omnia subito de mensa auferri Hosius, & pane tantum solo cōtentus esse voluit, ac ne idipsum deinceps auderent Ducis ministri prohibiti fuerūt. neque tamē ab insidijs destiterunt. Nam cum illorum opera in parandis cibis vti nollet Hosius, aliam fallendæ familię artem excogitarūt, ita, vt facere par erat germanam Gentilium & Apostatarū sobolem. Nam sicut olim Apostata Iulianus, vt Christianis ieiunij & abstinentię studiosis imponeret, panes, placētas, carne, sanguine, & contaminatione inficiebat; sic isti quoq. in medios panes non in incoctos quidē, (quales etiam Hippone Faustinus Catholicis obtrusisse ab Augustino memoratur) sed in coctos igne panes, porcinæ carnis tenuia fragmēta imponebant, vt Hosio & nobis omnibus imponerent; cuius tamen audaciæ grauissimas pœnas, Duce iubente persoluissent; nisi preces suas vicissim, pro eorum liberatione, infirmitatibus humanis compatiens Hosius, interposuisset. Paruo interiecto tempore, profectus est Elbingam, ad habenda Terrarum Prussiæ Comitia, vbi quid actum sit cum illo, quid ille vicissim egerit, tum Religionis Catholicæ, tum Reipublicæ causa, ex Actis Elbingeñ. anni 1568. petere quisque potest. Nos illud tamen commemorabimus. Quod cùm illi in omnibus rebus, & actionibus humanis præcipua cu

ra fuerit, de causa Christi, omnia semper consilia, ad ipsam esse referenda, omnibus sermonibus & sententijs suis eam adiungendam esse putabat, siue de pace, siue de bello, siue de vnione, siue de contributione, siue de executione, siue de legatione, de quocunque tandem Regni & Reipu. negocio agebatur, siue ex veritate, siue ex occasione, iuxta D. Pauli pręceptũ, Christum annuntiabat, Ecclesiam prædicabat, cœlestia terrenis adiungebat. Quærebantur in illis Comitijs tam Consiliarij, quàm Nobilitatis Nuncij, quòd iura Terrarum Prussiæ, Priuilegia, consuetudines antiquæ, paulatim inducerentur. & nouæ quædam formulæ, & rationes gubernandæ prouinciæ, per Regiam Maiestatem introducerentur. Quid ad hæc Hosius? Ego verò, inquit, omnẽ nouationem suspectã semper habui: & si qui sunt, qui ab omni in Repu. nouatione abhorrẽt, inter eos ego quoque nomen meum profiteor. Sed quis primus nouationum auctor in his terris extitit? Nonne vos (trium autem Ciuitatum Burgimagistros appellabat, Elbingensis, & Gedanẽsis) Torunẽsis, qui veteri religione Christiana repudiata, antiquis & vsu receptis Ecclesiæ ritibus reprobatis, nouas in Prussiæ ciuitates religionũ formulas, nouos ritus introduxistis, & noua fecistis omnia? A vobis igitur nouãdarũ rerũ factũ est, initiũ. Voluistis vobis licere, nouas religionum formulas condere, veteribus abrogatis;

miror, quòd non vultis Regi & Domino vestro licere, noua Iura, noua Priuilegia, in prouinciã introducere, veteribus abrogatis. Cùm olim ab illius Maiestate peteretis, vt vobis vsũ confusionis Augustanæ permitteret, nonne Pontificiam illi auctoritatem, & plus etiam quam Pontificiam visi estis attribuere? Nunc cùm Regia sua potestate, in polyticis rebus administrandis & decernendis vti vult, eam illi ereptam cupitis? Voluistis vobis quoque licere Pontifices esse, & vniuersæ religionis sanctitate uiolata, nouarum religionum impunitates coaceruare: et non vultis, vt Rex Regiam suam potestatem exerceat, & leges Polyticas arbitratu suo aut scribat, aut inducat? Seruate vos Iura & Priuilegia Christi, & eius Ecclesiæ: seruabit. Rex iura quoque vestra. & eius prouinciæ. Sed hæc omnia copiosè in Actis illius temporis descripta continentur. Nos ad alia properamus. Cùm autem ab illo nihilominus obtinuissent terrarum Prussiæ Consiliarij, vt ad Comitia regni Lublinẽsia proficisceretur. & ibi iura ac libertates Prouinciæ, auctoritate illa sua defenderet: nec haberet vnde tantos sumptus faceret, communicato cum Venerabili Capitulo Ecclesiæ suæ Varmiens. consilio, petiuit ab eiusdem Ecclesiæ subditis, vt ex suis angustijs, quantum sine incommodo rationum suarum præstare possent, præsentem suam necessitatem subleuarent. Illi verò & paterni in omnes

omnes animi, & imperij planè moderati memores, sine vlla tergiuersatione, aliquot millia se collaturos receperunt, vt ne à tam necessaria & patriæ salutari profectione desisteret. Egit gratias subditis suis Hosius, pro tanto studio & egregia significatione amoris, quam re ipsa comprobare conabantur: sed se tantis sumptibus, quantos illi offerebant, minime indigere respondit: cùm nil vnquã magis sibi fugiendum esse existimauerit, quàm ne cuiquam mortaliũ esset oneri. Longe minore summa se contentum esse velle, immo etiam & hoc promittere, quicquid ex ea pecunia, postquam reuersus ex Comitijs fuisset superfuerit, quod viritim id in singula vicissim capita distribueret. Egerunt vicissim Hosio subditi eius gratias, quòd tam benigne secum ageret. & illam animi moderationem pecuniæque contemptum, vehemẽter admirati, Domino gratias egerũt; quòd talis illis Episcopus contigisset, qui subditos magis quam pecuniam amaret.

CAPVT XXXI.

AD Comitia Lublineñ. profectus nil intentatum ibi quoq. reliquit. vt Christi causam in vniuersa patria faceret meliorẽ. Nã cùm de vnione terrarum Prussiæ cum Regno Poloniæ, & de executione Statutorum in senatu ageretur, de vnione cum Christo & eius Ecclesia

clesia facienda, ante omnia laborauit, quod omnia consilia de vnione Polytica, deq; Prouinciarum concordia, frustra susciperentur, diuisis in religione consulentium animis, & scissis in contrarias sententias hominum voluntatibus, eam demum vnionem fixam & stabilem ac perpetuam esse consueuisse, quę ab his constituitur qui vnum sunt cum Christo, vnum cũ Christi corpore Ecclesia, vnum finem habent constitutum, vt Christi gloria vbique magis atq; magis propagari queat. Nam inter quos, sicut ait Hieronymus, non est uera fides, nunquã potest esse fidus affectus. Similiter & Augustinus, inter quos rerum non est consensio diuinarum, inter eos neque humanarum rerum consensio certa esse potest & secura. Nemo enim ait August. esse potest amicus hominis. nisi ipsius sit primitus ueritatis. Nullam inter eos pacem, nullam vnitatem fixam esse posse, qui pacis & vnitatis auctorem Deum ex cordibus suis amiserunt. De executione verò Regni statutorum, se nil magis cupere dicebat. quam vt eam toties attentatam ad exitum deductam oculis ipse suis videret, non vnius alicuius capituli, aut decreti, sed totius Statuti, od deski do deski, hoc est, ut aiunt, ab assere ad asserem. In eodem enim Statuto sanctam quoque illam Cõfœderationem Corzynensem reperiri, propugnaculum illud tranquillitatis & ocij, & Decretum præterea Vladislai Iagello-

nis Regis Polonię Vielunenſe, vbi ſtatuitur, vt quicunque hæreticales errores facere vel promouere vellet, vel vt habent verba Decreti Regij, Quicunque in Regno Poloniæ noſtro, & terris nobis ſubiectis hæreticus, aut hæreſi infectus, vel ſuſpectus de eadem, fautor eorum vel director fuerit repertus, velut Regiæ Maieſtatis offenſor capiatur, & iuxta exigentiā exceſſus ſui puniatur. Huius tam ſalutaris Statuti executio potiſſima ac præcipua eſſe deberet, ſi vellemus, vt reliqua, quæ pro Reipub. fiſco tētantur, & faciles & fortunatos exitus conſequantur & aliquā utilitatem adferant. Stabūt, ait, ſalua Iura patriæ, ſi ſteterint inuiolata iura Eccleſiæ. Primum, ait Saluator, quærite Regnū Dei, & omnia adijcientur vobis. Nunc autem eſſe nonnullos Sacerdotum hoſtes, qui ad delendum ſtatum Eccleſiaſticum, ad affligendum Epiſcoporum ordinem, ad extinguenda maiorum inſtituta, ſua dignitate, poteſtate, cæteriſque inſignibus honoris abutuntur: qui ſicut ex cordibus ſuis CHRISTVM eiecerūt; ſic cauſam eius ex omni hominum memoria eiectam & eradicatam cuperent, ac nimis tardè eam concidere mœrent, & eos omnibus exitijs digniſſimos arbitrantur, qui pietatis, qui religionis curam cæteris omnibus curis & ſtudijs anteponendam exiſtimant. Elbingenſiū quoq; audaciam & pertinaciam accuſauit, quod vocem ſui Paſtoris audire nollent, quòd Regiæ voluntati non

ti non obtemperarent; quòd ministros verbi Sathanæ alerent; quod in despectum Regiæ Maiestatis (quã Christianũ, Catholicum & Orthodoxũ Regem esse cõstat) ex superiore loco prædicari paterentur, Qui in Missa sacratiss. Eucharistiam adorant, Diabolum adorant; quod sacerdotes à se missos veros veri verbi Dei ministros, omnibus iniurijs opprimere permiserint. Hic hic, ait, debet vigilare executio: cæteras omnes vniuersi Regni rationes, Deus ipse fortunabit. Et admonebatur à quibusdã amicis & necessarijs suis, vt vel nullum de religione verbum in Senatu Regni faceret, vel mitiores aliquantò sententias diceret, & eos, quos oppugnandos suscepisset, Euangelicos potius quam hæreticos nominaret. Sed ille plenus in Deum fiducia, & omnes Christo lucrifacere cupiens, cum scriptum in Ecclesiastico meminisset, Ne sis humilis in tua sapiẽtia, Viuit, ait, Dominus, sicut in Paral. legimus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquor, maluitque etiã de patria si res ita postularet, quàm de sententia, vel prece, vel precio, vel gratia, vel vlla simultate dimoueri, cùm sciret, magis esse Deo quàm hominibus obediendum. Et illud etiam meminisset, quòd ne Socrates quidem vitam suam ea conditione à morte redimere voluerit, vt promitteret, quod nunquam postea, in illa, quam profitebatur veritatis inquisitione philosophiaque versari vellet, nec obiurgare

quenquam,nec suadere iunioribus senioribusque, vt pro virtute magis quàm pro pecunia laborarēt. Deo enim,aiebat ille,quoque quãuis gentilis, parere malo, quàm vobis Atheniensibus, etiamsi vos diligo equidem atque amo. Sed nullum adhuc maius bonum in hac vrbe vobis contigit, quàm hoc meum ministerium,quod deo parens exhibeo. Quod ad hæreticorum appellationem attineret, si ægre ferunt, ait Hosius, nouatores isti,quod hæretici appellantur;non sint,quod dici nolũt. Fugiant ipsi rem,& ego vocabulum non attingam. Desciscant à mente impia, & ego ab hac ignominiosa appellatione discedam. Ego enim nihil aliud didici,quàm ficum,ficum,ligonem, ligonem appellare. Hæresis ab electione dicitur, isti autem sibi nouas religionum formas seorsum ab Ecclesia elegerunt, nouas fidiculas condiderunt, cur eos pudet audire, quod facere non pudet? nisi forte Euangelicorum nomen propterea sibi debere existiment, quòd Euangelium euerterint, sicut Scipio dicitur Africanus, quòd Africam deuicerit: & propterea sicut fidem, ita quoque veterem Christianorum appellationem reiecerunt. Nec loqui etiam deinceps per omnem occasionem,& priuatim, & publicè, & vocabula rebus propria attribuere desijt, ac multorum oculos sententiarum suarum libertate aperuit, nam ex Senatu Regio nonnulli, & inter hos vir illustris,

manu

manu & animo acer, Albertus Laski Palatinus Syradieñ, cùm semel & iterũ essent cum Hosio congressi errores suos, in quos de religione inciderant, agnouerunt, & non ita multò post ad Ecclesiam Cathol. accesserunt. contra quos sic erant animati hæretici, vt flumine sanguinis reditum illorum intercludere non dubitassent, si id quoquomodo proficere potuissent.

Capvt XXXIII.

Accidit autem in illis Comitijs Hosio, quod olim in Synodo Gallicana B. Remigio accidisse memoratur. Nam cùm in Senatum Regni, Rege præsente, venisset, assurrexit Rex, & detecto capite, quem debuit, tanto viro honorem habuit. Idem etiam fecit reliquus ordo Senatorum, duobus tantum Palatinis hęreticis exceptis, Craccouiensi & Sendomiriẽsi, quorum nomina honoris causa prætereo. Filios enim reliquerũt, ab ea quam profitebantur perfidia, valde abhorrentes, quos speramus decies tantundẽ pro antiquæ Christianæ fidei cõseruatione esse laboraturos; quantũ parẽtes illorũ pro Lutheranæ & Caluinianæ perfidiæ & impietatis propugnatione laborauerunt. Qui, cùm existimarẽt sui similibus probari nõ posse, quòd essent hostes Ecclesię, nisi Hosio quoque essent inimici, ne oculos quidem à terra ad

Hosium transeuntem attollere voluerunt: cùm tamen & Turcarum, & Tartarorum infideliū, & Moscorum oratoribus assurgere & honorē habere soliti fuerint. Sed rectè quidam scriptū reliquit; Qui se sectis dedunt, prorsus exuunt hominem. Ac vtinam illud pręterea, quod Renugij temporibus, accidisset, vt superbiam suā, ac fastum agnoscentes, vera humilitate Ecclesiæ subdi voluissent. Sed, ò profunda iudicia Dei, cùm nonnulli ex his, qui Hosium disserentem audiebant, erroribus relictis ad Ecclesiam accessissent, illi duo, qui dignitatem laudatissimi Cardinalis contempserunt, qui reliquæ hæreticorum turbæ iucundi esse voluerunt, valdè graues inhumanitatis suæ pœnas dependerunt. Nam vterque pro dolor, in perfidia sua, ex hac vita, post aliquot annos discesserunt.

CAPVT XXXIIII.

VISVM postea fuit Sigismundo Regi Augusto, & suis & Regni sui rationibus vehementer expedire, vt Hosius Romam proficisceretur, idque vt faceret, summis ab eo precibus, & coram & per Vicecancellarium suum contendebat. Sed Hosius quātum potuit, proficiscendi laborem detrectauit, tum ætatis ingrauescentis, tum inopiæ, tum etiam Episcopalis officij & pascēdi gregis excusatione proposita. Rex vicissim laborem dicebat ijs tantum

tum grauem & acerbum accidere consueuisse, qui nolentes & inuiti quidpiam aggrederentur: quod ab animo Hosij, & ab omnibus anteactæ vitæ institutis esse alienum iudicabat; qui pro patria sua periculosissima quæq; non solũ facere, sed etiam imperare fortissimis cõsueuisset. Quod ad sumptus itineris & vrbanas impẽsas attineret, eos se & libẽter, & liberaliter suppeditaturũ esse. Quod autẽ ad pascendas oues Ecclesię Varmiẽsis eligeret sibi in Coadiutorẽ, quẽ in Domino expedire iudicaret, qui in absẽtia populũ Varmiensẽ verbo veritatis pasceret, & rapaces lupos ab ouili Christi prohiberet. Hosius itaq; impetrato ad deliberandũ spacio. (neque enim vnquam quicquam incogitanter aggredi consueuerat) se suaque omnia Diuinæ prouidentiæ sollicitissimè commendabat; modò non totidem verbis, sicut olim Moyses contendens, vt prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini, sicut absq; pastore, prouiditque illi Dominus virum, secundum cor eius, vel vt Apostoli Pauli verbis vtar sobrium, prudentem, ornatũ, pudicum, doctorem, domui suæ bene præpositum, & testimonium bonum habentem, etiam ab his qui foris sunt, Martinum Cromerũ non neophytum, sed cuius iam in Ecclesiam Dei, & in patriam quoque suam, multa & magna extabãt merita: qui scriptis suis, magno cum fructu hæreticos op-

pugnauit, & in obeũdis legationis muneribus. cum apud Sedem Apostolicam, tum apud Ferdinandum Imperatorem, & alios Germaniæ Principes, summum semper gradum tenuit dignitatis & gratiæ: & res gestas Polonorũ, elegantissimis commentarijs cõpræhensas, ad vniuersæ posteritatis memoriam egregiè illustrauit. Hunc igitur virum propter studiorum & cõsiliorum similitudinem, administratorem primò, deinde Coadiutorem successoremque futurum, accedente Regis consensu, ac Pontificis Maximi approbatione, tanto libentius designauit, quod meminerat, non solum hac tempestate nostra, qua versa & peruersa in peiorem partem sunt omnia, sed maiorum quoque nostrorum memoria, per ambitiosos & contentiosos homines Ecclesias perturbari solere, & à Sanctissimis illis Patribus Ecclesiæ Catholicæ columnis Valerio, Augustino, Alexãdro, Athanasio, immo & à Mose, qui loco suo viuus adhuc Iesum designauerat, & à Petro, qui Linum & Clementem, & alijs idem factum esse sciebat. Tali itaque viro, cùm pascendum gregem Christi commisisset, iter Romam versus ingressus est, Augusto mense, maximo sui desiderio relicto in animis Orthodoxorum, qui Hosium ex Polonia discedentem, modo non totidem verbis persequebantur, quibus olim Gregoriũ Nazianz. ex Thracia exeuntem prosecutum esse legimus. O Pater, Trinitatem tecum eijcis.

idque

idque propter horrendas blaſphemias, quas homines impudentes, in Sanctiſſimam Trinitatem & in vniuerſam Chriſti Eccleſiam euomere nõceſſabant. Quamobrem plena luctus & mœroris erant omnia, in Epiſcopatu præſertim, apud Eccleſiæ ſubditos, qui tantum illius amorem, tantam erga ſe beneuolentiam experti ſemper fuerunt, vt à maternis viſceribus maiorem expectare non potuerint, quandoquidem illius vigiliæ ſubditorum fortunas, illius prudentia, ocium, illius labores. delicias, illius induſtria vacationem eorum ſemper defendebat: & eo libentius imperanti parebant, quo remiſſius imperabat.

CAPVT XXXV.

MAXIMVS autem Hoſio in toto illo itinere honos habebatut. Pij omnes & Orthodoxi Abrahamicum ſenẽ ubique admirabantur, & ſuſpiciebant: hæretici viciſſim (cũ in vita, quod morderent, non haberent) perſecutorem tantum Euangelij Bapſtmùtter, hoc eſt, Papæ matrem appellabant, quòd cum in alijs locis, tum in oppidò quoque Brigenſi in Sileſia accidit, in quo tãtum eſt inſequenti nocte, tamque ſubitum incendium conſecutum, ut magna pars non inelegantis oppidi, intra quatuor ferè horas flammis vltricibus cõflagraret. Quamuis autem in uicina ei domo, in quã

Hoſius

Hosius diuerterat, flamma sumpserit initium, dedit tamen hoc Dominus innocentis Hosij meritis, vt flamma quidem circumcirca adiunctas domos depasceretur, domũ autem ipsam tanti hospitis conseruatricem, non attingeret, sicut olim B. Germano in simili incendio accidisse memoratur. In Italiam autem ingressus à summis & Principibus viris honores accepit plane extraordinarios; cùm non spem futuri beneficij, sed quod in habendis honoribus spectari debet, illustria in Dei Ecclesiam, tanti viri merita, & anteactæ vitæ laudes, quibus iam erat toti ferè orbi notissimus, respicerent; sibique etiam gratulari videbantur, quod in Hosij meritis superiora sæcula viderent, & opera Sanctorum, quæ in Ecclesiasticis annalibus legebantur, in hac etiam prope deposita Reipublicæ Christianæ parte, oculis ipsi suis aspicerent, &c.



DE

DE VITA HOSII
LIBER TERTIVS
CAPVT I.

ROMAM Nouembre menſe cũ veniſſet, acceptus eſt, ſumma cum cærimonia, publica totius vrbis gratulatione, ſed aduentum eius, ſicut olim Auguſtini, flagellum ægritudinis corporalis excepit: vt ſicut alijs multis & magnis meritis, ſic patientiæ quoque laudibus abundare monſtraretur. Quo maiore autem ſtudio ſuccurſum ijs omnibus cupiebat, cum quibus vel in Germania vel in Polonia vixerat, hoc maiore zelo animique contentione pro omnium ſalute, in hoc Eccleſiaſtici imperij domicilio, vnde ſalus ad cæteros dimanare conſueuerat, laborabat: ac pro eo quo fungebatur Senatoris & Cõſiliarij Apoſtolici munere, dies ac noctes cũ animo ſuo reputabat, quibus præterea modis ſubleuari poſſent inclinatæ orbis Chriſtiani rationes. Quamobrẽ eleemoſynis & orationibus ſeſe præcipue muniebat, clamans ſubinde ad Dominũ; O ſapientia, quæ ex ore altiſsimi prodiiſti; veni ad docendũ nos viam prudẽtiæ. Egentium autem inopiam largiſsimis eleemoſynis reficiens, quorum ſemper greges antè baſy-

basilicam & in basilica Principis Apostolorũ videbantur, quibus Aureo Vngaricos nummos, singulos singulis in ipsa aurora, ne se proderet, vt numerarentur, mandabat, quod etiam per nos fuit alacriter executum.

Capvt II.

QVoniam autem hoc tempore religiosissimũ olim Angliæ Regnũ Elisabethæ Imperio tenebatur, quæ à teneris annis prauis hæreticorũ erroribus imbuta, subiectos sibi populos in eandẽ perniciẽ impellere, pœnis præmiisque propositis contendebat, omnibus machinis Catholicorum constantiam expugnare, et ex omnibus Regni sui finibus, eam religionem, quam, vna, sancta, Catholica, Apostolica, Romana, profitetur Ecclesia, exterminare cum puluisculo, quod aiũt, conabatur, de salute huius quoque Regni, quod non superiorib. tantum sæculis, sed in hac quoque deposita Reipub. Christianæ parte, tam insignes viros, Martyres, Confessores, Doctores Ecclesię Dei peperisse meminerat, cœpit esse valde sollicitus, si quo pacto posset eo vnde discesserat ad Ecclesiæ Catholicæ gremium societatemq; reuocari. Quamobrem eius sibi gentis studia & voluntates & animos magis atque magis adiungere cõtendebat: ad consuetudinem suã, sæpissime etiam ad mensam familiariter adhibe-

bebat, ac piis ſuis & religioſis colloquiis & cō hortationibus, alios in fidei Chriſtianæ confeſſione cōfirmabat, alios ad exilium Chriſti cauſa ſuſceptum, fortiter & animoſe tollerandum inflammabat. Quos in tetro carcere propter Chriſtum detineri Eliſabetha cognouerat, eos litteris grauiſſimis, ſicut olim Chriſti Confeſſores, ſanctus ille Martyr Cyprianus, cùm aliter non poterat, conſolari non ceſſabat. Viros quoque eius nationis optimos & doctiſſimos, in ſuis intimis habere contendebat. Thomam Goduelum Epiſcopū Aſaphēſem Nicolaū Sanderum, Thomam Stapletanum, Alanū Copum, & alterum Guilelmum Alanum & Audoenū Ludouicum Archidiac. Cameraceñ Vendonium I. V. Doctorem. Qui verò generis claritate cæteros antecellebant viros militares, fluctibus religionis ex patria ſua pulſos, & in alienis terris iacentes, quos in maiorum ſuorum veſtigijs ſtare oportebat, eos quoque fortiter in ferendo exilio, & fortunarum detrimentis, magno & claritate ſua digno animo tollerandis, tum Regni cœleſtis immortalibus donis propoſitis, tum operæ ſtudijque ſui, denunciatione excitabat. Inter quos tum præcipui fuerunt, Richardus Nortong. Franciſcus Ingilfildus, Thomas Coppleus & Richardus Scelleus, Magnus Angliæ Prior. Alium re, aliū conſilio, alium commendatione, omnes charitate vere Chriſtiana ſubleuabat, tanquā Chri-
ſtum

stum ipsum in illis exulantem, & egentem aspiceret. Magnas pecuniarum summas à Pon. Pio. V. ad eos reficiẽdos impetrabat. Ipse quoque ex suis angustijs, & in vrbe nonnullos & in Flandria & in Gallia Christi causa exulantes subleuare non cessabat.

CAPVT III.

PAr studium in Suedorum animis huic S.Sedi adiungendis adhibebat. De Rege præsertim Suecię Ioanne Tertio ad Ecclesiam Dei reuocando, vehemẽtius laborabat, ita vt in vultu, in fronte, in oculis, in sermone & consuetudine hominum, nil aliud præseferre videretur, quàm ardens & inflammatum Regis & Regni Christo lucrifaciendi desiderium. Quibus uigilijs, quibus sumptibus pepercit, quæ cõsilia nõ excogitauit, quę Gregorio xiij. Pont. (iam enim in cælestem patriam Pius V. Pont. laudatiss. & omnium sæculorum memoria ac prædicatione dignissimus abierat) non suggessit? quibus lacrymis, quibus eleemosynis Dei misericordiam implorauit? Legat qui volet epistolas cum ad Reginam Iagelloniam Catherinam, fæminam Catholicissimam regis Sueciæ coniugem, tum ad ipsum quoque Regem semel & iterum scriptas. Singulæ sententiæ, singula penè verba zelum ingentem &

in-

incredibilem sitim salutis repræsentant; adeò vt vilem sæpe duceret lucis huius vsuram si modo morte sua Regis huius Regnique vniuersi salutem repræsentare potuisset. Venerat in Vrbem ex Suecia Serenissimæ Catholicissimæque Reginæ Catherinæ Iagelloniæ minister Paulus Cremonensis, vt de quibusdam negocijs ad religionem constituendam pertinentibus cum Pontifice & Hosio transigeret. Quo gaudio, qua lætitia hominem exceperit, difficilè est explicare. Sed cùm redire in Sueciam vellet, & propè adesset dies Conuersionis S. Pauli Apostoli, detinuit hominem atque ad Ecclesiam sancti Pauli, via Ostiensi deduxit; ibique in capella, vt vocant S. Brigittæ, ex Regibus Sueciæ oriundæ, oblato cum multis lachrymis sacrificio, & effusis ad Dominum feruentissimis illis precibus prostratus in terram, pro Regis Sueciæ conuersione supplicabat: ac deinde Paulum & litteris & cæteris munusculis pietatisque illecebris onustum ad Regem, ad Reginam, & liberos dimisit, bona spe plenus futurum, vt in die Conuersionis sancti Pauli, in Ecclesia eiusdem nominis, in capella sanctæ Brigittæ, accedentibus vtriusque precibus Regis Sueciæ conuersio impetraretur: & obtinuit etiam, vt Rex illè aliquot adolescentes in vrbem ex Suecia mitteret; vt in Cathedra vnitatis viam veritatis discerent, quam deinceps in patria sua seminarent. Patres quoque Socie-

tatis Iesu, vt in Succiam mitterentur procurauit. Serenissimã Poloniæ Reginã, vt de conuersione affinis sui Regis ipsa quoque laboraret, perpetuis litteris fatigare nõ destitit. Ioannem Herbestum, qui fuit Reginę à sacris contionibus, nouis consilijs armare quotidie non cessabat, quibus posset, cùm ipsius Regis animũ, tum procerum voluntates, ad amplectendam vel saltem audiendam sanam Ecclesiæ doctrinam inuitare: & est per Dei gratiam huius sui studij & laboris, aliquem tamen fructum, con secutus. Nam & de Primatu Romani Pontificis à Lutheri sentẽtia Rex discessisse videbatur, & misso in Vrbem Oratore suo, auctoritatem eius & dignitatem agnouit, & maiora in dies promittit.

CAPVT IIII.

DVm Hosius in vrbe pro vera Christi fide laborat, hæretici in Germania, hoc est molles Lutherani, quorum dux & auctor est Philippus, cum rigidis Lutheranis, quorum Ni colaus Gallus, de ineunda prius inter se cõcordia, atque de oppugnanda deinceps Ecclesia la borabant, in Aldemburgensi quodam colloquio, vbi vtriusque partis ministri & quorundam Principum oratores laici, iudices videlicet cõtrouersiarum Ecclesiasticarum egregij, conuenerant. Cuius colloquij acta omnia typis

mandata cū legiſſet Hoſius, gratulatus eſt vehementer Eccleſiæ Dei quod, magis ac magis diuiſum eſſet cor eorum. Tantis enim odijs, tantis maledictis certabant inuicem, tot anathematiſmos ſecta contra ſectam pronunciauit, vt maiore odio & impetu, magiſque furenter, Eccleſiam Catholicam & doctrinam illius non fuiſſe perſecuti viderentur. Cæterum hoc tulit moleſtiſſimè, quòd vtraque ſecta fœdiſſimo homini Luthero, Chriſtum & Paulum in omni ſermone & oratione admiſceret, & eandem Chriſto & Luthero authoritatem & poteſtatem tribuere uidebatur, verbi gratia. Sic docet Chriſtus & Lutherus. Paulus & Lutherus, Ioannes & Lutherus. Mathęus & Lutherus. Ac non ſine quodam ſtomacho ſolebat ſæpè dicere. Accuſant nos hæretici impietatis & Idololatriæ. Sed quæ poteſt eſſe maior & verior, magiſque genuina Idololatria, quàm Lutheri vel Caluini verbum eodem loco quo Chriſti, quo Pauli verbū habere, illudq; pro Dei verbo adorare? Quod Deus per ſe, per Apoſtolos ſuos, per Eccleſiā ſponſam ſuā loquitur, id pro figmentis hominum; quod autem Sathanas per Lutherum, Caluinum. Bezam, & alias hominum quiſquilias phanaticoſq; ſpiritus loquitur id pro Dei verbo & Euāgelio Chriſti recipere. Ac author etiam fuit Nicolao Sandero Theologo ſuo, vt librum totum accuratius expēderet. & refutaret, illum præſertim de iuſtificatione

articulum,in quo sibi cati & prudentes videbantur illi disputatores, veramque illis ad vnitatem & concordiam viam & rationem ostenderet. Et hoc etiam tempus maxime omnium idoneum esse reputabat, in quo Lutheri sectatores, de verbo Dei inter se maximè dissentiebant. vt vtrique parti ostenderetur, quod neutra verbum Dei intelligeret, quòd non alibi, quam in Ecclesia Dei inuenire liceret: cum præsertim auditæ fuissent voces quorundam in illo ipso Aldemburgensi colloquio, quòd citius se adduci paterẽtur, vt in Papæ Romani quam in Philippi vel Eberi sententiam descenderent. Quamobrẽ author esse cœpit laudatissimo & omnium sæculorum memoria & prædicatione dignissimo Alberto Bauariæ Duci, Catholicæ fidei Propugnatori feruentissimo, vt is operam suam apud Augustum Saxoniæ Ducem interponere vellet, posteaquam vtramque Lutheranorum partem audiuit, tanta animorum acerbitate inter se contendentem; vt audire quoq. vellet Catholicorum de utrisque sententiã, & quid Ecclesia Dei, de his articulis sentiat & doceat, de quibus ita pugnabant ij, qui ab illa discesserunt. Certe, ait, aliquem inauditum condemnare, habet magnam iniquitatis rationem. Audiret saltim Catholicorum quoque rationes. Cognosceret, num vera sint, an falsa, quæ de Romana Ecclesia comminiscuntur. liberum erit nihilominus amplecti, quod voluerit, aut

ſi ipſe Dux tantopere à Catholicorum nomine & conſuetudine abhorreret, ſaltem in ſubiectis ſibi oppidis, & in aliquibus ciuitatibus liberam facultatem prædicandi Euangelij Catholicis concederet. ſperare ſe in Dei miſericordia, quod non ita magno negocio cognoſceret, nõ Dei, ſed Diaboli, non Chriſti ſed Antichriſti uerbum eſſe id, quod ſiue à rigidis, ſiue à mollibus Lutheranis prædicatur. Ac arripuit hanc occaſionem animo planè libentiſſimo pientiſſimus Bauariæ Dux, multumque apud Saxoniæ Ducem, vt liberam prædicandi facultatem concederet Catholicis, laborauit. Verum non eſt in medico ſemper, vt releuetur æger. Curã saucij habere; non curationem facere, iubet Euangelium. Spes eſt in Domino, quod hæc vtriuſque ſollicitudo ſuo tamen tempore optatos exitus conſequetur. Neque enim exiſtimandũ eſt, minorem eum de ſalute proximorum curam in cœlis, quàm cùm interis nobiſcum viueret, habiturum eſſe. Magna autem Hoſio cum iſto Principe, familiaritas & conſuetudo intercedebat, cùm propter ſtudiorum & conſiliorum ſimilitudinem, tum quod apertè coram hominibus Chriſtum vterque confitebatur. Et ſolus propemodum eſſe in Germania videbatur, velut quædam arx Catholicorum; receptaculum eiectorum; caſtellum ſacerdotum & religioſorum omnium. Eos enim, qui molli brachio rem religionis agunt, qui nec fri

gidi, nec calidi sunt, in eodem nocentium gradu & ordine reputabat, qui Christum & Belial, qui Lutherum & Ecclesiam, hæreses cum recta fide, singulari quodam artificio, ex intima arte sęcularis prudentiæ deprompto, in vno Regno, in eadem domo, in vno eodemq. hominis corde, recte posse coalescere, & sine periculo tollerari in animum induxerunt: quos optimus & doctissimus Ederus Imp. Cõsiliarius Germanica lingua Hoffschristen, hoc est, Aulicos Christianos, Latini verò cũ D. Augustino temporales siue temporisatores appellant: qui rebus suis fortunisque saluis & omnibus ad libitum fluentibus, pro veteris Cathol. religionis integritate & dignitate, ne manum quidem verterent, quales olim etiam in Aulis veterum Imperatorum, erant Eunuchi homines improbi & versuti. Principum adulatores & gaudentes mutationibus & cõfusionibus. sicut scribit D. Athanasius. Horum consilia quæ similitudinẽ tantum gerunt speciemque vtilitatis, re autem & veritate nocent plurimum, vt fugerent Reges terræ & Principes huius sæculi, per litteras hortari monereque non destitit, & quæ de iis in sua illa Euangelica inquisitione scripsit Ederus, ea per nos in Latinam linguam conuersa, tum Germanicè etiam descripta mittebat, atque vt sectam istam fugerent obtestabatur. Olim dicebat, in Ecclesia Dei legebatur, Deo seruire, regnare est, & qui regnare cupiebant, Dei

Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem promouebant. Nũc isti Ialoui, hoc est, macilenti Catholici, aliam scripturam Principes huius sæculi docuerunt, quam re magis exequuntur, quam verbis prædicant, hoc est; Tempori seruire, regnare est. Deo seruire, est regnum perdere. Vnã esse putant Deo candelam offerendam, ut sit propitius. Diabolo duas, ne noceat. Quo Reipublicæ Christianæ in cõmodo. quo religionis detrimento res ipsa loquitur. Et vsus est aliquando his quæ sequuntur verbis cum ad quẽdam Catholicum Principem, sed valde tepidũ scriberet. Quid faciam hoc rerum statu. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Benedictus qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Nolo deinceps iam in Principibus confidere; de quibus verè dixit Propheta. Quod non est in eis salus. In te spem omnem meam defixam habeo Iesu Christe, fili Dei viui. Te supplex inuoco, te precor, vt miserearis nostri. Tolle cæcitatem hanc, qua percussi sumus, ex oculis nostris. Illumina vultum tuum super nos. Conuerte nos, & auerte iram tuam à nobis. Valeãt isti Principes, qui religionis nullam curam gerunt. Tu Deus in adiutorium meum intende, & ad adiuuandum nos festina. Domine salua nos perimus. Vana est salus hominis. Domini est salus.

Caput V.

EPiscopos etiam & alios Ecclesiasticos uiros Christianæ Religionis προέστωτας per Epistolas Catholicas, sicut olim faciebant, Dionysius Corinthi Episcopus. Cum in Polonia, tũ in Germania sine intermissione hortabatur, vt intrepidè Christi causam contra Christi crucis inimicos tuerentur, & qui tepidiores erant, eos vere Panico timore correptos esse dictitabat, quòd id vnum tantum laborare viderentur, ne panem, ne census, ne reditus ammitterent, quocunque tandem loco res religionis versaretur. Puerorum hoc esse proprium referebat, qui latronibus domum fodientibus & preciosa quæque rapientibus & vitæ insidiantibus, non modo non resistunt, verum etiam arrident. ac tum demum vociferari incipiunt, cum eis calathum, systrum, vel aliquid ludicrum abstulerint. Indignum esse cum Augustino memorabat, quod Episcopi huius temporis frequenter nollent dicere. quod teste scriptura possent dicere. timentes videlicet ne loquentibus eis offendantur, qui veritatem non possint capere, & non timentes, ne tacentibus illis, qui veritatem possunt capere, falsitate capiantur. Nec magis verbis hortatus est, quàm exemplo præiuit. Nam cùm illo ipso tempore Sigismundus Rex bellum contra

tra Moschos suscepisset, datis ad Hosium litteris precibus illius & sacrificijs, susceptam expeditionem, & vniuersum imminentis belli progressum & diligenter & studiose commendabat. Cui Hosius (o Episcopum natum Ecclesiæ, memorem sui nostris, imitatoremque maiorum) Euangelica planè libertate vsus, modò non ijsdem verbis, quibus olim Isaacius monachus Valentiniano Imperatori in bellũ profecturo, respõdit. Quo vadis Domine mi Rex, quo vadis? Noli permittere subditos tuos contra Deum rebellare, & ipse faciet contra te bella cessare. Ille est, qui barbaros in te concitauit: nam & tu subditos tuos Deo rebelles, quia non repressisti, concitasti. Noli existimare, euerso in tuo imperio Christi Regno, Regnum tuum stare posse diutius. Immo verò metuo, ne flagellum iræ Dei sit ille ipse, contra quem bellum suscepisti, & erit tibi certè valdè durum contra stimulum calcitrare. Alteri quoque cuidam Principi in faciem restitit, non minori libertate, cùm ad alendos milites ex bonis Ecclesiarum & Monasteriorum ingentem auri & argenti vim corradere decreuisset. Maiores, inquit, nostri ad bellum profecturi, bona sua & possessiones Ecclesijs & monasterijs relinquebant, vt si in prælio caderent, facultatibus eorum, Christi sacerdotes potirentur, si redirent incolumes ad bonorum suorum possessionem reuerterẽtur. Vix au-

tem esse auditum, vt qui sua bona pijs locis assignauerant, in prælio succumberent, sed victores vt plurimum euadebant. Alio quoque tempore, cum auctoritate Pontificis quidam expeditionum & negociorũ administer abuteretur, & errori suo voluntatem Põtificis obtenderet dicens, Papam omnia posse. Sed non potest (ait Hosius) plusquã Deus. de Deo autem scriptũ legimus, quod non Deus volens iniquitatem tu es. Itaque nec Pontifex inquitatem velle debet, etiamsi omnia possit.

CAPVT VI.

MOliebantur interim in Polonia hæretici, nescio quæ separationis consilia inter Regem Sigismũdum & Reginam Catherinã, Ferdinãdi filiam, quæ si ad finem perduxissent, magnam vniuerso Regno, & Christianæ religioni securim inflixissent. Sed adest semper Ecclesiæ suæ Deus: qui Hosium excitauit, vt istorum conatibus obuiam eundum esse existimaret; & Regni senatores primò, deinde ipsum quoque Regem, ad commune hoc quasi incendium extinguendum inflammaret, qua de re in eam sentẽtiam alicubi scripsit. Totus perhorresco, cum, quæ consilia capiantur, & quæ sint hominum cogitationes, audio, quæ nõ alio spectare videntur, quàm ad euertendas, quas hic habet fortunas maiestas Regia, ad existima-

mationem illius, quin & Regni totius salutem labefactandam & conuellendam, denique ad multorum animas, tam facientium, quàm consentientium in profundum barathri demergendas. Non credo, quod vllus fuerit à sæculo pestilétior hæreticus, quàm impius ille Bernardinus Occhinus, qui, num etiã Deus esset, aut num vlla rerum humanarum cura tangeretur in dubium ausus fuit reuocare. Huius tamen hominis nefarij consilijs in patria nostra locus dari dicitur: quæ si, quod absit, progressum haberent: etiam elementa cõtra nos insurgerent, nec tam atrox facinus ferre possent. Totum orbem concitaremus contra nos, & opinione nostra celerior, certissimus Regni totius interitus sequeretur. Quamobrem, quantum Regiæ maiestatis Regnique totius salutem conseruatam cuperent tantum eniterentur, vt his pestilentissimis consilijs obuiam iri queat, quo totus orbis intelligat, quæ sparsa sunt, esse vanissima, nec vlla de re minus in Polonia, quam de hoc tam execrando flagitio cogitatum fuisse. Regię quoque maiestati diligenter supplicauit, vt nascentis mali initia opprimeret, nec aures vllo pacto præberet eorum turbulentis consilijs, qui Reges & Regna perdere non dubitant, vt fidem Catholicam simul euertant. Tanti facio, ait, ad eũdem Regem scribens, & fortunarũ & animæ præsertim Vestræ maiestatis salutẽ, vt mihi salus illius mea ipsius salute charior non
sit.

sit. neque dubitauerim de gratia apud M. V. quin & de corporis mei salute prius in dubium venire, quam vt aliquid eorum prætermittam, quæ ad salutem V.M. conseruandam pertinere putarem. Nosse me iam debet M. V. quandoquidem totis iam annis fere 40 Maiestati Vestræ, simul & D. Parenti illius ita seruiui, fidem vt illi meam & integritatem satis probasse videar. Fumos istos, quibus multorũ oculi perstringuntur, ambiui nunquã; quod scit ipsa. M. V. immo vt ad alios transferentur petiui, quod ipsum & Romæ feci ante annos. 12. Et quamuis totos 15. annos in aula Maiestatis Vestræ diuique parentis illius fuerim versatus, nunquam tamen aulicè loqui, vel scribere didici: nec tam priuatis meis rationibus, quod hominis cati & aulici esse uidetur, quàm publicis cauendum & consulendum putaui. Factus autem Episcopus, cùm per 22. annos ab aula abessem, ac totus sacris libris euoluendis, quibus nihil est cum illa commune, immersus fuissem, longius ab ea scribendi consuetudine, & ab his moribus, quos aula requirit, sui remotus. Quo maiore venia dignus esse videor, si solita mea simplicitate, apud M. V. in scribendo & dicendo vtor. Non contra te, o Rex, scripsi, quod scripsi. Pro te saluteque tua scribo, quicquid scribo. Memento, ò Rex, per quem regnas: memento, cuius minister es: memẽto, pro quo gladium portas: memẽto rationem tibi reddendã

esse & cogitationum, & actionũ tuarũ omniũ: non solum autem tuarum, sed & eorum, quos regendos suscepisti populorum, coram illo iustissimo viuorum & mortuorum iudice Christo. Non poteris ibi dicere, nolens feci: ignorãs feci, coactus feci. Ecce ego, quamuis indignus tamen sacerdos & Episcopus tibi anuncio, hoc quod agitur, quod tibi suggeritur, ad id comparatum, & institutum esse; vt religio primum, deinde Regnum quoque hoc tuum euertatur: quibus euersis quid de te futurum sit, cogita. Non enim subtrahet personam cuiusque Deus, qui est vere omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusque, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus, fortioribus autem, fortior instat cruciatio. Quamobrem, quod olim in simili negocio M V. respondit omnibus regni consiliarijs; quid impedit, quominus & nunc clanculariis istis consiliarijs respondeat? Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut, quam dabit homo commutationem per anima sua? Non tanti tibi fuerat Regium diadema, non regni tam ampli, tam copiosi, non tam adiunctarum illi terrarum imperium, vt eorum ammittendorũ metu faceres, quod facere te salua fide, religioneque tua, non posse putares. In eadem planè te quoque nunc esse sententia, palam omnibus osten-

ostende. Non admittit ratio fidei Christianę allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, vbi vna est necessitas non delinquēdi. Fortior enim est vnus Deus, quàm mille millia legionum diabolorum & hæreticorum omnium. Ponant illi contra cœlum castra, ordinent contra te acies, tu semper habebis cōmilitonem Deum. Malo, Serenissime Rex, scribere salutaria, quam blanda, malo vera, quam grata. Et fideli Senatore atque seruitore, & adulatore atq; assentatore, me Rex meus nūquam vtetur: cum hæc duo simul consistere nequeant. Quod olim scripsi, idem etiam nunc dico. Si, quod pro sua misericordia, procul Deus auertat, de sublimi Ecclesiæ turri labentem Regem Dominum & benefactorem meū viderem, etiam si certa mihi mors esset oppetenda, Christo tamē robur mihi suppeditante, corpore meo ruentem excipere, & illius interitu salutē eius redimere nihil hæsitarē. Quamobrem te quoque supplex oro, Domine Iesu Christe, Saluator & redēptor noster, per acerbissimam & ignominiosissimā crucem tuam, & gloriosam resurrectionem tuam, auerte pestē hanc a nobis, & libera nos ab hac tanta ignominia, & a grauissimis Diaboli tentationibus. Dissipa consiliu Achitofel. In te semper a puero meā spem & fiduciam habeo collocatam, nec vnquam ea sum frustratus, nec nunc me frustratum iri confido. Exaudi preces seruorū

tuorum

tuorum & miserere nobis. Et est ad extremum consecutus id, quod optabat Hosius, & pij omnes desiderabant. Nam illa separationis consilia, in spongiam, quod aiunt, incubuerunt. Eodem ferè tempore, in ciuitate Craccouień. officinam nequitiæ, & omnium blasphemiarũ diuersorium, in domo, quam materna lingua Brog, Latina aceruum dixeris, incredibili importunitate & audacia vsi hęretici, in honorem dei sui Caluini, & semidei Bezæ, instruxerũt; in qua Christum mendacij arguerent, qui dixit accepto pane, Hoc est corpus meum: et accepto calice, Hic est sanguis meus: & magistros suos sacramentarios adorarent: qui dicere ausi sunt, Non est verum, quod dici veritas, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Quę res, quantum dolorem Hosij animo attulerit, ex Epistolis quas ea de re multas, ad Regem, Episcopos, nuncios, Palatinos, cæterosque cum auctoritate viros conscripsit, & ad reprimendam hæreticorum audaciam inflãmauit, petere quisque potest. Ad regem certe Sigismundum his eũ verbis vsum esse legimus. Ego nullis, o Rex, laboribus, neque vigilijs parco, dum inseruire V.M. Regnique commodis & tranquillitati cũ aliquo fructu, contendo. Sed me conantem id facere, nemo magis impedit, quã ipsa M. V. Quid igitur faciã? Nisi demoliri soloque æquari abominationem illam, templum illud Biessouij, hoc est, Sathanæ fabricatum (Bies enim

lingua nostra Diabolum significat) iusserit, quandoquidem rumor ea de re, magis atque magis percrebrescit, vix in conspectum hominum audebo prodire. Quę enim nota V.M. maior inuri potuit, quæ Regno maior infamia adferri, quam vt totus mundus videat, quod in primaria Regni ciuitate, conniuente M. V. Biesſovva vviarka, hoc est Sathanæ vel Bezæ fidicula propagatur? Biessouij templum fabricatur? Bies pro Deo colatur? nec est quisquam qui prohibeat, nec est vlla potestas in terris, quæ tã effrenatam hæreticorum audaciam coerceat. Stupenda res est, quod ita Diabolus metuitur, quòd ita Deus contemnitur, & pro nihilo ducitur. Supplex oro. M. V. per viscera misericordiæ Dei, ne ferat abominationem istam, ne dicatur illud, quod illi populo ab Elia dictum esse legimus. Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini eum. Si Christus Deus vobis est, sequimini eum, credite illi dicenti. Hoc est corpus meum. Sin autem Antichristus Geneueñ Deus est, sequimini eum, & prophetis eius credite dicentibus, Non est verum quod dicit veritas, Hoc est corpus meum. Quàm longe distat cœlum à terra, tàm longe distat Christi corpus ab hostia consecrata. hæc enim fuit vox istius Biesij, cui templum ædificatur Craccouiæ in illo conuentu, quē Regina Galliæ Posiaci celebrauit: quam cum audiret homo

mo quidam Christianus, Quomodo credat, inquit, Bies iste, Christum esse in Eucharistia, cum ne in cœlo quidem esse Deum credat? Et hic est ille deus Bies cui nunc templum Craccouiæ fabricatur. Certe, o Rex, duos Deos, vt coli patiaris in ciuitate tua, cumprimis horrenda & abominanda res est. Non est Deus nisi vnus, non est fides, nisi vna, nec Ecclesia est nisi vna. Si feres duos Deos, cito videbis duos reges, cito videbis totius Regni interitũ, Vnus est solus & verus Deus. Deus patrum nostrorum, Deus patrum nostrorum. Cui vero tẽplum Craccouiæ ædificatur, Antichristus est, non Christus. Et vt Regem magis etiam permoueret, ad facinus audendum pro Christo, ex Theodoreto, Sozomeno, & Metaphraste exempla collegit, vbi Gainas trux quidam Scytha, & Arrianus, ab Imperatore Arcadio vnũ ex sacris templis suæ Lectæ dari postulauit: quod tamen Imperator negauerit, & quàm fortiter Gainæ conatibus diuinus ille Chrysostomus restiterit. Addidit etiam marginales, vt vocant, notationes, in quibus illius temporis Gainam ostendit esse, Palatinum Craccouieñ hæreticum; Regem autem, vt Arcadius esse volit, admonet, & Ioannem Chrysostomum desiderari deplorat. Theodosij verò contra hæreticos legem, quàm Ioannes coram Arcadio producebat, Sigismundi primi Regis legem esse memorabat, anno Domini 1524.

Cracc.

Cracc. latam, qua pro officio Christiani Principis subditis suis in Regno cæterisque dominijs constitutis præcipit, vt eam ipsam religionem à Patribus ordinatam, ac per sanctam Romanam Ecclesiam directam, atque à maioribus nostris per manus traditã, ac per se deniq; & gentes suas multo sanguine & clarissimis victorijs (gratia Deo) hactenus defensam tenerent, atque a labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram & immaculatam conseruarent. Solebat autem in his curis, cum earũ mole & varietate premeretur, sæpe dicere. Quod vita priuata nil esset felicius, & inter alia præclara Gregorij magni Pont. dicta illud quoque omni laude & dignũ iudicabat, quod Romanus Pont. vocari cœperit seruus seruorum Dei. Quanto enim quis in altiori gradu dignitatis constitutus esset, hoc plurium commodis & vtilitatibus seruire consulereque teneretur. Nam in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cœlesti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, sicut ait Aug. seruiunt eis, quibus videntur imperare. neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidẽdi misericordia. Et scripsit etiam Cardinali Comendono, cum priuatam adhuc vitam ageret. in hæc verba; Beatus es, cui tantum ocij datur, vt & legendis libris, & absentibus etiam amicis per litteras salutãdis vacare possis. Inuideo

tibi

tibi beatum istud ocium tuum, quo tu isthic tranquilla mente teneris, nec mihi vnquam crebrius in mentem venit Horatianum illud carmen; Beatus qui procul negocijs &c. quē hoc tempore quo versor in istis fluctibus negotiorum, ex quibus vtinam emergere aliquando liceat. Crede mihi, quòd me magna iam cœpit satietas huius fabulæ, quam nūc ago, nec aliud magis cupio, quàm, vt ad illius catastrophen quàm cellerrimè peruenire liceat, ac vtinā rebus ex animi sententia confectis, prius oues meas visendi mihi potestas concedatur, quàm ad Concilium venire sit necesse.

CAPVT VII.

TAntum autē hoc studium, tam ardentem Regiæ salutis & dignitatis conseruandæ voluntatem, non viuenti solum & regnanti declarauit, sed mortuo quoque quantam salutis eius sempiternæ curam gereret, luculentissimis argumentis comprobauit. Cum enim de transitu illius ad beatorum sedes nuncium accepisset, animo planè moderato, sed oculis dolorem internum ostendentibus; Rex, ait, meus & benefactor meus mortuus est. Sit nomen Domini benedictum. Sit nomen Domini benedictum. Tibi Domine, Regis & benefactoris mei animam, & orbatæ patriæ rationes valde commendo. Non secundum peccata

nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Piorum quoque vota & orationes Deo amabilium sacerdotũ & religiosorum virorum vndique colligebat, vt continuis precibus, & sacrificijs, defuncti Regis animam, diuinę misericordię commendarent, & copiosis eleemosynis per Monasteria & Hospitalia pauperum distributis, iter in cœlestem patriam benefactori suo patefacere contendebat, nec solum Sublaci, vbi tum temporis menses æstiuos ducebat, verumetiam in isto quoque Ecclesiastici Imperij domicilio, in hac orbis terrarum luce, solemnes & Regia magnificentia dignas, regio plane apparatu, celebritate, pompa, laudatione, trophœis, imaginibus ornatas, exequias in Ecclesia Sancti Laurentij in Damaso instruxit, quas præsentia suã ferè 40. S. R. E. Cardinales, multique alij viri Principes cohonestarunt & 112. mendicos, pullis vestibus donatos, tum tria ferè pauperũ millia, quibus viritim pecuniam distribuendã curabat, ad preces tantò ardentius pro defuncti Regis anima, ad Dominum effundendas incitabat. Sermonem præterea de laudibus Regis à Rescio, pro concione recitatum conscripsit, vt ne prorsus vllam grati & acceptorum beneficiorum memoris animi significationem prætermitteret. Erat enim huius quoque officij, sicut cæterarum virtutum obseruantissimus, & solebat apud se eorum amicos, affines, nepo-

tes, cognatos, alere, rationesque eorum cupidissime promouere, a quibus olim aliquod, vel minimum beneficium accepisset, vt Macieiouios, Tomicios, Choinios, Serenissimæ quoq; & pientissimæ Reginæ Poloniæ, Annæ Iagiellioniæ, negocia, cum propter defuncti fratris merita; tum propter eiusdem in se liberalitatē, quæ in Regno Neapolitano, propter ademptā per ministros Catholici Regis hæreditatē maternam, Bareñ videlicet & Rosaneñ Principatum, tanto studio, tanto feruore, tanta contentione, cum apud S. Sedem Apostolicam, tum apud Serenissimum Catholicum Regem Philippum promouebat, vt nihil vnquam viderim ardentius. Prorsus enim omnes grati, & memoris hominis partes, vultu, fronte, oculis, sermone, scriptione, prædicatione, cumulatissimè, expleuit. Et nobis in hoc quoque se valdè imitandum præbuit.

CAPVT VIII.

QVanta autem deinceps sollicitudine, quo conatu laborauerit interregni tēpore, vt in locum defuncti, Catholicus, Christianus, & Orthodoxus Rex eligeretur, vel, vt ipse solebat dicere, posteaquā Domino visum esset, innouare dies nostros, & ad aliam familiam Regni Poloniæ coronam transferre, vt innouaret, sicut a principio. Quis posset curā illam, & sollicitudinem, quis orationes, lachrymas, suspi-

ria, studia, consilia, animique contentionẽ pro illius dignitate memorare? Quo maioribus periculis obnoxias esse videbat in patria sua Catholicæ religionis rationes, quam hæretici, omnibus suis copijs & opibus, oppugnandam & opprimendam susceperant: quo plus illis Interregni tempore, quod libebat, licebat, quod licebat audebant, quod audebant, impune ferebant, hoc ille minus in humano præsidio totam spẽ, & fiduciã suã in Dei misericordia, & miserationibus eius multis, nimis collocandã putabat. Et cum illo quoque tempore ad specum S. Benedicti Sublacensem, æstus euitandi causa secessisset, solitudinis illius beneficio vsus & dies & noctes sæpe integras, in oratione Dei, & in excogitandis rationibus placandæ iræ diuinæ consumebat, tum etiam in eruẽdis, & suggerendis salutaribus consilijs, cum ipsi omnium communi Patri, & Pastori Gregorio xiij. Pontifici vigilantissimo, tum etiam Regni Poloniæ consiliarijs, Rescio quoque suo eo ipso in loco maxime auctor esse cœpit, vt Deo per sacerdotium consecraretur, & oblato incruento sacrificio, patriæ quoque suæ rationes Diuinæ misericordiæ commendare non cessaret: quod cum aliquandiu, ob maiestatem muneris, & suam in rebus, & functionibus Ecclesiasticis infantiam detrectaret, darique sibi abeundi facultatem peteret, in aliquo secessu, ab aulica turba remoto, sacerdotẽ agere prius disce-

disceret, quã illotis, vt aiunt manibus, ad obeũda munera sacerdotij accederet. Vix tandem post aliquot dierum cõtentionem per illos admirabiles & doctissimos viros, re & veritate Doctores Theologos (faciebant enim quod docebant) Nicolaum Sanderum Anglum, & Iacobum Paez Hispanum Societatis Iesu, paucorum dierum inducias, ad sese recolligendum impetrauit; ita omnis mora visa longa Hosio est, vt quãplurimos in eũ ordinem cooptaret: in quo possint Deo Patri misericordiarũ eius corpus & sanguinem offerre, cui nil negare cõsueuit, & per quem solitus est nobis donare omnia. Illas autem supplicationes, Letanias vocamus, quas in omnibus Vrbis Ecclesijs, pro felici Regis electione impetranda, pijssimus Põtifex instituerat, Deus bone, qua animi pręsentia, quo feruore, quanta spiritus vehementia quotidie recitabat? Vidimus orationis cursum lachrymis in terram defluentibus interruptum. Vidimus genas madentes, ad extremum etiam vidimus tantarum lacrymarũ, velut quendam partũ consecutum. Electus enim erat communi omnium Regni ordinum consensu & volũtate, verè Christianus Catholicus & Orthodoxus Rex Henricus Dux Andegauenus, Caroli ix. Galliarum Regis Christianissimi frater, qui prælia Domini a teneris annis præliari didicerat, multisque iam erat victorijs & triumphis de Christi Regisque sui perduelli-

bus Hugonotis reportatis, per orbem Christianum illustratus, & illo ipso electionis tempore Rocellam hæreticorũ asylum, & omniũ perditorum receptaculum, ferro et armis oppugnabat. A quo cum in Polonia quoque sibi metuerent hæretici, ne Christi Regnique statuta debitæ in eos executioni mandare vellet, ad alias conditiones, quæ Regi electo cum Regno simul offerebantur, vt pelli perfidiæq. suæ consulerent eam quoque adiunxerunt, quamuis toto repugnãte ordine Ecclesiastico, & multis alijs Catholicis & nobilissimis equitibus, vt iuramento interposito promitteret, quod pacem inter dissidentes de religione esset conseruaturus (hæc enim sunt, propria confœderationis verba) neque propter diuersitatem fidei aut mutationem in templis sanguinem effusurus, aut pœnis affecturus, siue confiscatione bonorum, ademptione honoris, carceribus, & exilio etiam si quis hoc ipsum prætextu decreti, aut aliquo iudiciali processu, attentare vellet. Quã hæreticorum contentionẽ, cùm ex amicorũ litteris Hosius cognouisset, nullum non mouit lapidem, nil prorsus intentatum reliquit, vt nefariam istam conspirationem, aduersus Dominum & aduersus Christum eius factam, & omnem illius progressum impediret. Legat qui volet epistolas, ea de re, & copiose & eleganter scriptas, & eiusdem Confœderationis excussionẽ & de quatuor in ea considerandis. Zelũ pene

nè incredibilem, & consilij abundantiam, vereque Episcopalē curā & sollicitudinem, in omnibus illis scriptis perspiciet. Ac profectus ipse quoque in Gallias fuisset nascenti malo obuiā iturus, si id illi facere per ingrauescentem ætatem licuisset Sed non potuit tamen se continere, quin Rescium suum mitteret, qui post factā gratulationem electo Regi supplicaret, vt sui maiorumque suorum Regū Christianissimorū similis esse vellet, nec vllis se vel precibus, vel minis, vel contentionibus adduci pateretur, vt iuramēto interposito promitteret, quod in Regno Poloniæ, præter fidē Catholicā, Romanā, aliā quamcumq; perfidiā impune tollerare vellet. Multo atrocius esse dicebat hoc, quod isti petūt, quàm quod olim petebat Herodias saltatrix. Illa petebat caput Ioan. Baptistæ, quo nō surrexit maior inter natos mulierum, à proprio corpore separari; isti vero saltatores, ex vna perfidia in aliam saltitantes, Christi corpus, cuius corrigiam calciamenti soluere ipse Ioannes dignum se non esse confitetur, in multas & minutissimas partes dissecari, & iuramento præterea Regio sibi caueri cupiūt, nullā per eum vnquam medicinam adhibitam iri, vt redintegrari possit: & qui gladius, quod sceptrū ad eos coercendos, qui vnitatem Christi corporis Ecclesiæ diuidunt, à Deo datus est, eum illi eripere conātur, vt liberum vnicuique fiat, quascunque fidiculas velit quotidie cudere, ex

vna saltare in aliam; sacerdotium, sacrificium & omnem cultum, quo Deus agnoscitur, abrogare, Sanctissimā Trinitatē impunè blasphemare. Machometi perfidiā amplecti, Deiq; filiū Christum esse negare. Admonebat, ait, S. ille Rex & Propheta eos, qui cū summa potestate versantur. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore. Nunc isti saltatores, diuersam cantilenā Regibus suis occinunt. Non intelligite, aiunt, nec erudiamini, qui iudicatis terram, non seruite Domino in timore. Tunc enim Reges seruiunt Domino in timore, quando ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibent. Aliter enim seruit potestas, quia homo est, aliter quia & Rex est. Quatenus homo est, seruit viuendo fideliter, quatenus autem Rex est seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo & pridem sancitas executioni mandando, sicut seruiuit Ezechias Rex Niniuitarum, Darius, Nabuchodonosor, & alij. In hoc ergo seruiunt Reges Domino, quatenus sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere, nisi Reges. Et tamen isti contra expressum Dei verbum, quod quotidie iactitant, volunt cogere Regem suum, vt ne Domino seruiat in timore. Cumque proprium sit Regis potestatē Regiam ad cultum Dei maxime dilatandum famulam facere, isti contendunt

dunt, vt eam famulam faciat ad minuendum Dei cultum, & ad omnem pietatem propulsandam. Nulla Regis virtus est magis propria, quàm iustitia, qua suum cuique tribuitur. At quæ potest esse iustitia, quando permittit, vt vero Deo, creatori, tollantur homines, cuius creaturæ sunt, & subdantur immundis dæmonibus, vt in eos libere grassari queant? Existimatũ olim in Germania quoque fuisse, quod pax esset inter dissidentes de religione statim secutura, post initum fœdus illud Smalcaldicũ; sed quæ bella, quàm minime bella, quam horrendæ clades, loco pacis consecutę sint, euentus ostendit. In ipsa quoque Gallia, quid tot tam multæ paces tantaque conniuentia profuerit, ad comprimendam hæreticorum audaciam, domestica exempla docuerunt. Non sic maiores nostri, cum vicina nobis Boemia ab Ecclesiæ corpore se segregasset. Fœdus enim ipsi quoque inter se apud nouam ciuitatem Korczijn inierunt, non vt errores Bòhemorũ reciperent & impunè tenerent, sed vt eos propulsarent, & si quis recepisset, contra eum insurgerent & punirent. Nec est quod quisquã speret, pacem vllam inter dissidentes esse posse, nisi prius tollatur dissidium. Isti autem contra ipsam quoque rerum naturam contendunt, vt durante dissidio pax seruetur. Quamobrem suadere se Maiestati suæ, pro fidelis subditi & consiliarij, & pro Episcopi quoquę & Cardinalis

nalis officio, & rogare, vt obturet aures suas ad hæreticorum importunas petitiones, & eis nulla circuitione vsa respondeat: se nescire Deum nisi vnum, nec fidem scire nisi vnam. Quicquid est extra vnam fidem, non fidem, sed perfidiam esse. Perfidiam vt approbet, se nunquam facturã, rẽ videlicet & persona sua, & anteacta vita, & Christianissimis suis maioribus, auis, proauis, atauis, abauis, indignã. Hoc autẽ curæ sibi futurum, vt quicunque se diuiserunt à Christi corpore Ecclesia, & varijs atque peregrinis doctrinis adhæserũt, eos instruendos curaret in spiritu lenitatis, & in eam à qua deflexerunt viam reuocandos, ab ijs, quorum id proprium est munus, Episcopis & sacerdotibus. Nullum præter solius Dei metũ præ se ferat: eo se prohiberi dicat, quominus eorum iniquis postulationibus loci quicquam det. Poterit etiam polliceri, quod cogitet omni lenitate clementiaque vti: modo ne velint ea abuti. Nullam sæuitiã præ seferat, sed neq; lentitudinem. Sic felicius & quietius eis populis imperabit, à quibus cum hac ipsa spe electus Rex esset, vt maiorum fidem sartam tectam conseruaret, Regiaque sua potentia tueretur atque defenderet.

CAPVT IX.

HÆc & alia multa eius generis consilia & per litteras & per Relcium, electo

Regi Henrico proponebat. Christianissimo quoque fratri eius Carolo IX. Galliarum Regi & Reginæ matri Catherinæ supplicabat, vt ne tantum facinus designari paterentur. Cæteros quoque Galliæ Principes vrgere, monere, rogare, obtestari non cessabat, vt in idem studium incumberent, & Regem electũ ab eo iuramento auerterent, quod ab illo exigebant hæretici. Idem summo suo studio conatuque laborabant duo amplissimi, & sapientissimi viri Gregorij xiij. ad prædictos Galliæ & Polonię Reges Nuncij, Antonius Maria Saluiatus & Vincentius Mõtis regalis Episcopus, qui postea in sacrum S.R.E. Cardinalium Collegiũ ab eodẽ Pont. cooptati, Ecclesię Dei plurimũ afferunt & vtilitatis & ornamenti. Sed cũ plerisq; Galliæ principibus visum nihilominus esset, ad adeundam pacificam Regni Poloniæ possessionẽ vehemẽter expedire, vt aliquid hereticorum furoribus clamoribus, quæ concederetur, & quam tantopere cupiebat pereundi licẽtiam, ea illis authoritate Regia tribueretur, dici non potest, quantum vicissim dolorem ex ea re Hosius acceperit, quem etiam datis ad Regem in hæc verba, & ad alios etiam multos vtriusque Regni Principes litteris testatus est. Quid scribam, aut quomodo nescio, sed nec loqui scio. Quod factum est probare non possum. Itaque cum ipse nec scribere iam nec loqui scio, eius qui per excellentiam quan-

dam

dam à Græcis Theologus dicitur, viri doctissimi sanctissimique Epistolam ad Nectarium Constantinopolitanum M.V. mitto, quam, vt sibi legi iubeat supplex oro. Nam, quod ego. si præsens adessem dicturus fuissem, dicet hoc vir ille sanctissimus atq; doctissimus. Ego nil aliud habeo quod dicam, quam peccatum esse grauiter. Hoc me consolatur, quod non Herodem Regem habemus, qui quod impie promisit, maiore cum scelere adimpleuit, sed eum quem ad Regem Dauid accessurum, quam proxime speramus. Iurauit & ille se Nabal occisurum, cum quadam etiam execratione, sed magna cum laude sua, quod incautè iurauit, non præstitit. Supplex M.V. peto. sicut peccando Petrum est secuta, sic & pro peccato suo satisfaciendo Petrum imitetur. Misit etiam illi descriptum locum Augustini, qui sic habet. Peccasti, quod defendis te, loquendo. Loqui vis? patere, audi, cede diuinis vocibus, ne turberis & amplius vulnereris. Commissum est, ne defendatur: in confessionem veniat, non in defensionem. Adhibes te defensorem peccati tui, vinceris. Quis enim es, vt te defendas? Idoneus es ad accusandum te, noli dicere, aut nil feci, aut, quid magnum feci, aut, fecerunt & alij. Si faciendo peccatum, nihil te dicis deliquisse; nil eris, nil accipies. Paratus est Deus dare indulgentiam, noli opponere obicem defensionis, sed aperi sinum confessionis. Quæ omnia, tantum abest,

vt optimi Principis animum offenderent, vt da uis ad Hosium ex itinere, cùm in Poloniam proficisceretur litteris, in oppido Isenacho, pro libera admonitione, ex optimo, vt ait, animo profecta, & Epistola Gregorij missa gratias egerit: & his præterea verbis in illa ipsa Epistola, vteretur. Quod si, Domino bene iuuante, ea me obseruantia nobilitas Polona colet, qua hactenus Reges suos prosecuta est, non despero fore, quin in vitæ meæ & religionis rationem intuens malit Principis sui, ad exemplum veræ & antiquæ pietatis, laudem retinere, quã nouis quotidie opinionum fluctibus misere exagitari & obrui. Ac fuisset proculdubio id etiam consecutum, nisi eum mors Caroli Regis fratris ex Polonia in Gallias recurrere compulisset. Sed & ipse Rex Carolus, fateri publice coram Regni sui Principibus non dubitauit, se pridem de Hosij Cardinalis sanctitate, & eruditionis præstantia constanti omnium sermone celebrata cognouisse, multamque gratiam laudatissimis eius lucubrationibus debere, quod earum lectio, multo plures in Regno suo, in fide Catholica retinuerit, & errantes ad uiam reduxerit, quam hæc arma vniuersa, & terrores bellici, quibus eos oppugnabat. Regina quoque mater nobis audientibus testata est, quòd electionẽ filij sui in Regem Poloniæ sanctissimis Hosij precibus & orationibus acceptam ferebat; cuius omnia vota & studia ad hunc finem

spe-

spectasse non ignorabat, vt patriæ suæ chariss. Regem Catholicũ & orthodoxũ à Domino impetraret. Sed & ipse Rex electus Regni Poloniæ accessioné tãto sibi gratiorem accidisse testatus est, quod cum Regno Hosium tantum Episcopum, antiquis illis patribus annumerandum nactus esset, cuius etiam consilijs niti vellet, & orationibus & sacrificijs eius se Regnumque suum diligentissime commendabat, quin & hoc etiam per litteras, & per Rescium postulabat, vt omnem administrandi regni rationem exactissime perscriberet, ac de iuuanda præsertim religione, salutaria consilia suggereret, quod etiam Hosius fecit diligentissime, proposito Sigismundi I. Regis exemplo, qui Regnum Poloniæ per 40. annos, iuste, clementer, sapienter, & moderatè gubernabat, & heroicis virtutibus & exemplis ad imitandum abundabat. Sed hæc omnia cõsilia vt diximus immatura Caroli IX. mors perturbauit. Cum enim non totos quinque menses in Regno Poloniæ vixisset, ad hæreditarium Galliæ Regnum magnis itineribus recurrit.

CAPVT X.

EAdem planè libertate, eodemque animo & consilio ad Christum apertè confitendum, ad fidem Romanam Apostolica voce laudatam

datam constanter retinendam, & tuendam atque ad omnia separationis consilia fugienda, hæresesq; exstirpādas, & Maximilianū. II. Rom. Imperatorem, cum ad capessanda Regni Poloniæ gubernacula vocatus esset, & Stephanum Batthoreum Regem Poloniæ hortari monereque non cessabat: cui in quadam epistola sic loquitur. Quid ei dato iuramento promiseris, per quem capiti tuo Regni corona fuit imposita, tenes, ò Rex, proculdubio memoria. Sed nec illud oblitus es, quo sacramēto fidē tuā obstrinxeris, quod esses Regni Constitutiones inuiolatas seruaturus: in quibus ne qua fierent Conuēticula, qualia nunc sibi licere volunt hæretici, neue quas hęreses impunè profiteri liceret, piè religioseque sancitum est. An autem tu pugnātia iurares? an ex eodem ore calidum & frigidum efflares? an aliud stans aliud sedens promitteres? Non cadit hoc in istam tuam omnibus testatam pietatem, grauitatem, constantiā. Mihi quidem certum hoc est, & indubitatum, nō aliud tibi propositum fuisse, cum iuxta pręscriptam formulam iurares, quam vt exterminatis ex Regno tuo hęresibus, quę pacem perturbant, quę bella suscitant, pacem solidam, & perpetuam constitueres, & seruares: quod etiā vt facias, exigit à te Deus ipse, qui secūdum intentionem iurantis, non recipientis, iuramenta iudicat: qui propterea voluit vnum te tot myriadibus hominū in Regno pręesse, vt seruares

vni-

vnitatem Spiritus in vinculo pacis; hoc à te supplices quoque precantur omnes pii quotquot in fidem, potestatemque tuam se contulerunt. Hactenus Hosius. Ac vtinam patriæ nostræ religiosissimus, ille, & gloriosissimus Rex Stephanus Princeps & benefactor meus clementissimus imperare, quam diutissime potuisset, frenos furoris sine dubio Christi perduellibus iniecisset: cum presertim omnia prius mansuetissima consilia pertentauerit, vt armatum contra Catholicos animum deponerent, Cæterum is ad beatorum sedes hoc ipso fere tēpore euocatus est, quo nostra hæc, Romæ in lucem hominum edebātur. Rex omnium sæculorum memoria & predicatione dignissimus. Omniū plane Regiarum & hæroicarum virtutum laudibus, & exemplis ad imitandum abundans. In Ecclesia Dei plusquam sacerdos. In Republica plusquam Rex. In exercitu plusquam Imperator. In acie plusquam miles. In iudicio plusquam Iuris consultus. In dicendis sententijs plusquam Senator. In aduersis ferendis plusquam vir. In publica tuenda libertate plusquam Ciuis. In amicitijs colendis plusquam amicus. In conuinctu plusquam familiaris. In venenatione plusquam Leo. Digni fortasse non fuimus, qui his laudibus cumulatum Regem & Dominum ad multos adhuc annos haberemus. Det illi Dominus successorem quem optamus, acerimum Catholicæ verita-

tis propugnatorem. Nostra autem ad Hosium nostrum reuertatur oratio.

CAPVT XI.

AGebat interim Hosius annum ętatis 70. quo visum est sapientissimo Pontifici Gregorio XIII ad vtilitatem Ecclesiæ Catholicæ valde pertinere, vt in ligandis & soluendis pœnitentium peccatorum conscientijs, Hosio administro vteretur. Quamobrem munus ad illum Maioris Pœnitentiarij detulit eo tempore, quo menses æstiuos, & ardorem cæli Romani apud specum S. Benedicti Sublaceñ Abbatiæ, sicut olim Basilius Seleucię apud S. Teclę templum declinare consueuerat: nec minus quicquā, quam istius dignitatis accessionē expectabat. Quam etsi renuebat initio constantissimè, victus tamen non minus constanti voluntate Pontificis, deliberandsaltem spacium concedi sibi postulabat, vt sedens, sicut saluator pręcipit, computaret sumptus ad huius muneris amplitudinem, cum vtilitate proximorū sustinendam necessarios; tum vt vires quoque suas examinaret, vtrum posset peccata populi, concoquere, quæ plusquā cæteros sacerdotes & Cōfessores comedere, vt ait, scriptura, Maiorem Pœnitentiarium oporteret. Verum ad extremum cedere tandem coactus est Christi Vicario, qui huius sui consilij hanc præcipuam

rationem fuisse testabatur corā aliquot S. R. E. Cardinalibus, quòd ei rectè committi posse, peccatorum alienorum curam iudicabat, qui proprijs peccatis & infirmitatibus quàm minimū grauaretur. In quo etiā munere administrā do tantam adhibuit charitatem, lenitatē, celeritatem, facilitatem, vt nulla alia potestas desideraretur ab his, quorum conscientijs salutares medicinas adhibebat. Cùm in Basilica S. Petri ad audiendas Confessiones, cum alijs Pœnitentiarijs & Confessoribus assidebat, Deus bone, qui concursus hominum? quæ reuerentia cani illius venerandique capitis? quæ deuotio videbatur in populo? tanquam vnū ex antiquis Patribus annumerandum virum, intuebantur, & capita sub virgam eius Pænitentialem, vt vocant, cum omni deuotione submittentes peccatorum veniam implorabant. Et quoniā in annum sanctum, quem Iubilæum vocant, huius muneris administratio inciderat, quo magna vis hominum, ex diuersis mundi partibus, ad sanctorum Apostolorum limina confluebat, post spirituales consolationes, magnā quoque ex Hosij præsentia & aspectu consolationem capiebant, cùm illa ætate, dignitate, pietate, eruditione, illa gloria, & celebritate virum, Christi in terris Vicario, in resignanda porta sancta, vt vocant, quod quinto & vigesimo anno summa religione & incredibili cærimonia maiores nostri confici voluerunt, cæterisq;

illius

illius anni & temporis officijs adiutorem & ministrum adesse videbant. Et auditum est hoc à viris fide dignis, quòd in quibusdam Galliæ prouincijs cùm pro contione, & in scholis, & in eruditorum congressu, Hosij scripta citari commendarique audirent, existimabant virum hunc, ante 300. vel circiter annos vixisse: quē, cùm postea superstitem cognouissent, Romā, vt eum viderent, plerique etiam cum incommodo rei familiaris aduenerunt, quorum etiam aliqui summi beneficij loco officium hoc accipiebant, cùm illis ad osculandas Hosij manus aditum patefaciebamus. Hieronymus quoque Osorius, tanti nominis & doctrinę Episcopus, cùm ex Lusitania Romam aduenisset, nullo puncto temporis interposito, Hosium ante omnes alios accessit, ac ab eo ad Pontificis pedes osculandos deduci voluit: idque in summi beneficij loco magnaque suæ felicitatis parte reputauit, nobisque audientibus tantum sibi ab Hosio honorem habitum esse gloriatus est. Abbates quoque & Definitores Capituli Generalis Cisterciēsis famę celebritate, quæ Galliam vniuersam peruagata erat, permoti, cùm ipsi quoque vitam Hosij ad publicam totius Ecclesiæ vtilitatem pertinere intelligerent, in suo Capitulo Generali Cisterciensi, communi omnium consensu decreuerunt, vt in toto ordine per vniuersum orbem disperso, pro vita Hosij orationes haberentur, & eum præterea,

propter innumera in ipsorum Ordinem merita & singularem amicitiam, quæ illi cum laudatissimo illo Cardinale Clareuallensi Hieronymo, maiorum suorum, & sanctissimi Patris Bernardi Clareuallensis imitatore fidelissimo & integerrimo intercedebat, ad participationem, vt aiunt, communionem, associationem, omnium bonorum, spiritualium Missarum, Vigiliarum etc. admiserunt. Sed & in ipsa Vrbe omniũ, vt ait ille, gnara & nihil reticente non defuerunt, qui pileolo Hosij, cuiusdam, furibundi hominis capiti imposito, vim mali propulsatam existimabant. Scio aliũ aquam qua in sacrificio missę manus abluebat, ad mitigandos articulorum dolores adhibuisse. Penè autem innumeri fuerunt, ex Germanis, Polonis, Anglis, Sclauis, qui summi muneris loco habebant, siquid secum ex rebus, quæ in vsu Hosio fuerunt, vt biretum, pileolum, libellos, & id genus, in patriam asportare potuerunt, alij manus tantum eius characterem, in libellis sibi charissimis habere voluerunt. Tanta per orbem Christianum erat Hosiani nominis celebritas, vt si cognomen hoc à maioribus suis non accepisset, id ipse sibi tanta sua virtute integritateque peperisset. Quamobrẽ sæpe etiam à viris Catholicæ religionis studiosis & coram & per litteras rogabatur, vt in hac quoque vltima ætatis suæ parte plures adhuc libros velut Cygneas quasdam cantiones, ad

vtilitatem Ecclesiæ Dei, & confusionem hæreticorum conscriberet, verùm ille memor, quod sapientia admonet, Fili, caue multos componas libros, & ore tuo properes, sicut in omnibus anteactæ vitæ studiis, sic in hac quoque parte virus illud virtutum, inanem gloriã, maxima sibi cura esse fugiendam putauit. Nã quod ad publicam vtilitatem attineret, cuius causa, nullum vnquam laborem sibi defugiendum esse existimabat, nil à se præterea excogitari posse dicebat, ad defensionem Catholicę veritatis, quod in libris iam editis, nõ produxisset in mediũ. Et fuerunt ipso viuente bis & trigesies, in variis orbis Christiani locis impressi. Romæ, Parisijs, Lugduni, Antuerpiæ: aliquoties Coloniæ, Louanij, Moguntiæ, Craccouiæ, Venetiis: in Gallicam etiam, Italicam, Germanicam, Anglicam & Polonicam linguam translati: vt tanto commodius & efficacius in animos omnium gentium & nationum, salutaris Ecclesiæ doctrina penetraret. In Armenicam quoque linguam, traductos fuisse, ex sermone doctiss. & integerr. Cardinalis Sirleti, accepimus: ita vt mihi sæpe venerit in mentem, existimare, quòd istos tam vtiles & salutares libros, sicut olim de quodã Gregorii Thaumaturgi scripto creditũ est, mater ipsa Dei virgo Maria Hosio dictauerit, vel quod de suo Basilio scriptum Theologus reliquit, in pixide Spiritus sancti calamum suum scribens intinxerit.

xerit. Quocunque te verteris, quodcunque legeris, statim occurrit, quod lectorem in admirationem raperet, nisi inter paria legeretur, Nunquam à veritatis regula, nunquam a tramite Catholicæ fidei aberrauit, & existimatum est hac quoque tempestate nostra in Septētrionalibus illis partibus, quod olim in Oriente de Gregorio Nazianzeno Rufinus Presbyter existimatū esse memorat. Quod non esset rectæ fidei, quicunque in fidei regula cum Hosio non concordaret, idque nos etiam a Guilielmo Lindano Episcopo Ruremundēsi, viro doctrinæ & pietate laudibus cumulato, & nunc Christi causa exulanti, (Episcopatu enim suo ab hęreticis spoliatus est, vir quem in ampla fortuna & dignitatis gradibus stare oportebat) audiuimus, quod in Germania nefas esse Catholicis videatur in rebus religionis Hosii sententiæ refragari. Audiuimus etiam a viris fide dignis, quod Hosii libris, propter admirabilē vtilitatem quam legentibus adferūt sic erat infensus Cōdeus ille Christi Regisque sui nobilissimus perduellis, vt 600. simul exemplaria, a quodam Bibliopola Parisiensi emeret, & statim in platea vulcano corrigenda traderet: ipsi quoque authori par exitium est comminatus, modo nō ijsdem verbis vsus, quibus olim Arrianum hæreticum de D. Hieronymo, cuius imaginem in templo Syōn gladio transuerberauerat, vsum esse legimus. Ita fe-

cissem si te viuum tenuissem. Non solum autem authoritatis pondere, & vtilitatis vbertate, Hosij scripta cumulata sunt: sed tanta quoque verborum facultate lenitate, gratia, elegantia abundant, vt impletum esse in eo videatur quod dicit scriptura. De ore prudētis procedit mel, dulcedo mellis est sub lingua eius. Et alio loco. Doctrina prudentum facilis. Et vir præterea quidam doctus, integer scelerisque purus, sæpe in hac vrbe solitus sit dicere. Quod diffusa esset gratia in calamo eius; ita vt in oratione quidem alter Meletius, quasi mel Atticum, in actione vero & conseruatione, id quod vocabatur Hosius, id est sanctus appareret. Sed istam orationis puritatem, vitæ castitas præcipue faciebat; vitæ castitatem orationis puritas commendabat. Nam in hac quoque parte Hosius se nobis præbuit imitandum. Ab infantia namque domum suam in eo constituerat castitas, & continentia radices fixerat in profundis. Virum se esse nisi per patientiam laboris & dolorum contemptionem ignorabat. Carnem habere, nisi cum moriturum se meminerat, nesciebat: immò paucis antè mortem annis, ex quadam occasione, confitentem ac Deo gratias agentem audiuimus, quod illius magna misericordia & Angelorum eius fidelissima custodia, & intemeratę Virginis Mariæ precibus factum esset, vt integritatem corporis sui conseruaret, nec vllam vnquam mulierem cognouisset, quo

tempore hoc etiam addiderat: Ego a teneris annis mundum istum, & vanitates eius fugiebam, sed me semper nihilominus mundus sequebatur.

CAPVT XII.

CVm autem in reliqua vita mitissimus esset, & in omni suauitate humanitatis versari per iucunde soleret, ita vt excandescentem, ne nos quidem vnquam, qui in illius intimis eramus per 20. annos viderimus. Idque etiam epistola quadam sua testatur vir notissimæ pietatis, verbo & opere potēs, & in nos suauiter effusus Alphonsus Salmeronus, vnus ex illius sociis atque discipulis, qui primus Pauli & Ioannis Apostoli præcepta secutus, fideles Dei in societatem filii eius Domini nostri Iesu Christi conuocauit, totque tam pios tam doctos, tam vtiles, tàm necessario tempore filios & defensores, Ecclesiæ Dei peperit, Patris Ignatij Logiolæ. Sic enim ait; Hoc sane testare possum, ex quo per bonitatem tuam, quę summa est, licuit mihi iucundissima consuetudine tua vti, nunquam te vel subiratum, vlloue excandescentiæ motu perturbatum, cognoscere potuisse, etiamsi causæ non deessent, quæ animum tuum, vt vel aliorum multorum merito irritarent, & commouerent. His, inquam, moribus, ea lenitate, tantaque animi moderatione cùm

præditus

præditus fuerit Hoſius, viſus ille tamen nonnullis eſt in defendenda religionis cauſa, & in hæreticorum ſtudiis & conſiliis oppugnandis aſperior; nec eſt vnquàm in eo, ex vlla alia cauſa, maior animi commotio depræhenſa, quàm, cùm videbat hæreticis licere quod libebat, audere quod licebat, nec eſſe, qui eorum animos audacia & impudentia præfidentes refrenaret. Verùm Chriſti charitas, cuius facibus vehementer vrebatur, in hominis corde cum Propheta loquebatur. Clama, ne ceſſes, ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eius. Facultates, ait Eccleſiaſticus, & virtutes exaltans cor, & ſuper omnia timor Domini. Et ipſum quoque Dauidem, laudi ſibi ducere meminerat, quod odientes Dominũ oderat, & contra inimicos eius tabeſcebat. Perfectò, ait, odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Quamobrem etiam glorioſus ille Chriſti Confeſſor Cyrillus Alexandrinus diuinum ſacerdotem & omni laude dignum putat, cùm apud Deum, tùm apud homines, ſi non patiatur quenquam contra Diuinam nugari gloriã, ſed omninò tales, pro ſummis hoſtibus ducere ſtudeat. Nouerunt qui hoc igne, charitatis fideique zelo inflammati aliquando fuerunt. Modus in eo eſt optimus, modum neſcire. Nã qui in vita hominis fidem in Deum ſanctiſsimã eſſe putat, quomodo, quæſo, poteſt eum æquanimiter tollerare, qui fidem ex animis hominum

num tollere, Ecclesiam eius scindere, ministros oppugnare, opprimere, obtruncare, templa spoliare ausus sit? Pudorem, & pudicitiam qui colit, non potest æquo animo istorum quotidiana adulteria, sacrilegia, stupra, incestus, meretriciamque disciplinam aspicere. Qui proximorum iniurijs, Regnorum, & Rerum plublicarum, vastationibus doleat, quomodo potest in istos Imperiorum euersores, istos belli ciuilis vultus, istas fauces, per quas non Dominicæ, sicut falso iactitant, sed Lapitarum cœnæ, & conuiuia transeunt, quorum consilia & studia omnia his duobus verbis exprimi dicebat Hosius, Sursum Deorsum, non commoueri? Qui Romani Pontificis, & Episcoporum est sacerdotum iura, dignitatem, authoritatem, libertatem, sanctam apud omnes haberi vult, is Episcopo, Catholico, Cardinali, Maiori Pænitentiario non plus etiam quàm inimicus esse debeat, cum ad istum ordinem euertendum, ad tollendam Ecclesiastici Imperij maiestatem, opprobria, conuitia, verbera, tormenta, cruces, supplicia, fixa parataque recordetur. Sciebat ille vir Dei, nunquàm esse tutius irasci & excandescere quàm, cum in amore nimio veritatis, & in reiectione nimia falsitatis aliquis irascitur, & excandescit. Nam qui, sicut aureum illud os præclarè scriptum reliquit, non satiatur amore erga

ga Iesum, is nec vnquam satiabitur pugna aduersus eos suscepta, qui Iesum oderunt. Et Gregorius Nazianzenus: Nequaquam eum feruorem damnare debemus, absque quo nil fieri præclare, siue pietatem, siue virtutes cæteras, spectes, potest. Et charissimus ille Gregorij vitæ studiorumue comes Basilius scribens ad Satrapam Hæreticum. In alijs modesti sumus, ait, & omnibus reliquis humiliores. Vbi vero Dei negotium periclitatur, cunctis alijs contemptis, ad Deum solum respicimus. Gladij, bestiæ, vngues, carnem dissecantes, potius delitiæ nobis sunt, quàm tormenta. Ideo iniuria affice, minare, & omnia quæ volueris perage, ac potestate fruere: sed & Rex audiat, nunquam adiget, aut efficiet, vt ad stipulemur impietati. Quamuis non homines Hosius, sed hominum errores persequebatur, & quo magis odio prosequebatur errores, hoc magis diligebat homines, hoc magis ab erroribus exemptos cupiebat. Immo vitam ipsam pro salute proximi posuisset, si percussor adfuisset. Et monebatur etiam hic in Vrbe aliquando à quibusdam delicatulis, ne tam sæpe, tam acriter, tam liberè, Reges terræ, cæterosque qui cum potestate versabantur, ad Christum apertè confitendum, & ad tollendas hæreses hortaretur. Cramben bis positam esse mortiferam,

ram, & in aures Principum ea quę prosunt cōsilia, ita nihilominus esse mittēda, vt etiam delectent. Quibus ille, modo nō illa ipsa Chrysostomi verba respōdit, quibus eum in simili causa, & accusatione, vsum esse legimus. Me, ait, melius est audacem à vobis, immitem, & insolentem putari, quam quae Deo placent vos nō facere. Tamdiu enim eadem dicere debeo, quādiu vos eadem peccabitis; quandiu veritatem oppugnari, vnitatem scindi, Ecclesiam diuidi, Deum in ordinem cogi patiemini. Remedia ante vultis quàm vitia desinere? Ego vero magis etiam quia recusatis in hac contentione perseuerabo. Etiam inuitis profutura dicere non desinam. Sterilis ager, vt aliquando seminanti respondeat, quotidiana manu agricolæ vexandus est. Malo mihi agri fertilitatem, quàm meā illi diligentiam & curam deesse. Forte vnum ex tam multis aliquando verbum reliquorum iacturam sarciet; fortè in animum audientis, non in aures tantum descendet. Ac scripsit etiā ad Othonem Truchsesium Cardinalem in hęc verba: Scio mihi zelum quendam inconsideratum adscribi. Quem zelum habuerint alij qui ante me munus hoc legationis obierūt, nescio. Fieri potest, quod fuerit eorum zelus consideratior. Sed quorsum tamen res perducta sit in his terris, per zelum hunc nimis consideratum, nil opus est me scribere, cùm res ipsa loquatur. Si nondum rebus in hunc mundum exagitatis,

crescente adhuc isto hæresis malo, nec ita, vt nūc inueterato, paulo maiori zelo res acta fuisset, alius nunc esset terrarū istarum status. Sed hæc, vt insipiens loquor, Quæso, vt ferat insipientiam hanc meam æquo animo. Lenitatis laudem alijs non inuideo, sed nec ego sum tam asper, vt nonnulli existimant; nisi, quod fateor, vbi graui aliqua iniuria Christum affici video, ibi nonnunquam exardesco: neque tamen ita, vt modestiæ fines prætergrediar. Et certè, qui negocia religionis frigidè agit mihi, non ex animo agere videtur. Et in alia quadam Epistola, ad Borrhomæum Cardinalem. Adscribitur mihi zelus quidam inconsideratus. Sed video quod aliorum zelus nimis cōsideratus eo rem perduxisse videtur, vt iam vix decima pars Catholicorum in his terris supersit. Mihi videtur illud esse verissimum, qui timidè petit, docet negare. Si quæ alia, tum Christi præcipue causa zelo agi vult, non valdè considerato: qui dum nimis est consideratus, nō valde proficit. Quāquam si quis est in me zelus, certè consideratior est, quam Christi causa, quam ago, postulare videtur. Nam & ego sum homo, & humani à me nihil alienum esse puto. Quæ cæteros homines, eadē & me nonnunquā mouent. Nec illud ignoro si qui religioni, ergo motus essent excitati, quod primus ego fortassis essem qui certum in discrimen vitę vocarer. Quamuis autem pro fide Christique Ecclesia, si sal-

vus

uus illius, morte mea repræsentari possit, eodem Christo, vires mihi suppeditãte, non inuitus mortem etiam ipsam oppeterem; tamen vt ipse accersam mihi periculum, & ea consilia sequar, quæ mihi certum essent interitum allatura, nondum ita sum perfectus, vt id facere in animum inducere queam. Deinde vero, quamuis me parum ingeniosum esse libenter profiteor, non adeò tamen sum omni prorsus ingenio destitutus, vt non intelligam, si cuius magni Principis est animus nimis obfirmatus in sua sententia, quod nil apud eum profici possit, siquis durius agat, & non in spiritu potius lenitatis instruere conetur, quodque paulatim esset de sua sententia deducendus.

Capvt. XIII.

SOlebat autem eius quoque rei meminisse, quòd cùm illam Sancti Andreæ orationem (cui Ecclesia Varmiẽsis dicata est) inter quotidianas precum & orationum Ecclesiasticarum commemorationes recitaret, O bona crux diu desiderata, & concupiscenti animo præparata, ad subeundum aliquod eiusmodi pro Christo supplicium vehementius inflammabatur, sperareque se dicebat in Dei misericordia,

cordia, quòd tantam sibi gratiam concederet, vt si necessitas fidei Christianæ postularet, omnem vim & acerbitatem & ipsam etiam mortem, patienter toleraret: adeò vt existimari possit, passus esse, quicquid pati potuit; nec illum martyrio, sed illi Martyrium & persecutorem defuisse. Verum ita Domino visum est, vt lento potius & longo, quam violento martyrio consummaretur: vt esset in orbe Christiano qui quam diutissime verbum veritatis, apud Reges terræ, summa cum libertate loqueretur, Quòd fides non est nisi vna, & quicquid extra unam fidem est, non fides, sed perfidia est. Quod doctrinam ueritatis posuit Dominus in Cathedra unitatis. Quod quisquis cum Romana Ecclesia & cum Xysto Pontifice in fidei doctrina non concordat, Christianus non est. Quamuis autem patria nostra tyranum nullũ (Deo sit gratia) tulerit, qui Hosium martyrij desiderio flagrãtem vexandum lacerandumq. susciperet, inuenit ille tamen rationem, ne martyrij præmium, & meritum apud Deum amitteret. Solebat enim corpus suum, satis alioquin imbecillum, quoties oculos hominum effugere poterat, non uirgis solum & flagellis, sed nodosis etiam funibus, aut ferratis cingulis, acutisque & pungentibus spinis, vel quidquid eiusmodi ad manum veniebat, vsque ad sanguinem in terram quandoque defluentem, lacerare: vt ista sese ratione, ad om-

nes acerbitates, atque ad res ad patiendum, tollerandumque difficiles, fortiter & animose Christi causa perferendas exerceret. Ad extremum etiam cum ipse sibi non fideret, nimisque videretur infirmitati corporis sui indulgere, adhibere, præterea percussorem consueuerat, cuius ministerio, ad vltimam vsque vitæ suæ diem in castigando corpore vtebatur, illius instar prophetæ, qui socio olim suo dixit, percute me; &c. Sed reliqua nobis in hoc genere cuius ipsi αὐτόπτης καὶ συνεργὸς, extitimus, silentio tegenda veniunt. Virgas autem & nodosos funes ferratosque cingulos inter sua κειμήλια semper asseruabat, atque ad omnem occasionem expedita habebat.

CAPVT VII.

VIxit autem annos septuaginta sex æquabili ferè semper vsus valetudine: quos certe in tantis, vt diximus, curis & laboribus vixisse multum est. Sed verbum Domini mutari non potest, qui suo nobis digito scriptum reliquit; Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Et Ecclesiasticus ait, qui deliquit in cōspectu Domini, incidet in manus medici. Valetudinem ille suā, bene actę adolescentiæ, & securæ menti, quæ est quasi iuge conuiuium, non medicinarum præsidijs tribuebat. Et sapientia quoque dixit: Qui odit aua-

auaritiam, longi fient dies eius. Nunquā enim in animum eius, aut amor nummi, aut auaritiæ sordes inuaserunt. Etiam in hac propè iam acta ętatis suæ parte (quæ ei uicio plerumque succumbere consueuisse existimatur) usque ad extremum diem uitæ, hilaris semper dator, & propterea etiam Deo dilectus extitit. Qui domesticas illas impensas, egentium greges, liberalitatem in Collegia, monasteria, Hospitalia, in uiros doctos, scriptores, concionatores, quorum egestatem in Gallia, Germania, Flandria, Polonia, missa pecunia subleuabat, & in librorum supellectilem, diligentius cum animo suo reputare voluerit, non poterit profecto non mirari, quomodo tàm exigui census quos habebat, ad explendos tantos sumptus sufficere poterant. Sed illi adhęc necessaria sufficiebant; quia ad superflua & minimè necessaria, nullam eorum partem conuertebat: qua de re sic alicubi scripsit, doctissimus ille Theologus & Christi exul Nicolaus Sanderus. Nam vt de solis Anglis loquar, quis Romam venit ex vlla orbis parte, qui domum Hosij, non experiatur hospitium suum? Habent ibi locū suum Presbyteri, habent illustres, habent & milites, denique fratres etiam minores: etiam minimi, Hosij hospitalissimi Cardinalis nomē non minus diligūt, quàm honorant. Germani, Angli, Bohemi, Vngari, Sclaui, Mosci, in domum Hosij, tanquam ad commune miseriarū,

perfugiũ confluebant: neminẽ à cõspectu atq; à colloquio reiecit, sed cũ portas domus & ingressum scalarũ obsedissent, pro veteri sua cõsuetudine, audiebat singulos placidissime, libellos supplices ex omniũ manibus ipse excipiebat; nec vnquam quenquã supplicantẽ indonatũ admittebat: immò sæpe verbis placidissimis, exilium, egestatẽ, nuditatẽ, & alia incõmoda, quibus se oppressos queritabantur, consolatus est. Sæpe etiam Resciũ illis ostendens; Nolite, inquit, istũ in Regnũ cęlorũ intromittere, si vos malè expedierit. Innuens eos (sicut olim ad suos quoque familiares solitus erat dicere S. Oddo Abbas Cluniaceñ) paradisi esse ianitores, & cœli ostiarios, & propterea in honore habendos. Si quando autem solito pauciores conuenisse videbat, culpã omnẽ in suos referebat; quasi minus placidè minusue liberaliter veniẽtes acciperent, aut etiã domus suę aditu prohiberẽt. Trecẽtos aliquando Moschos & Ruthenos Turcarũ captiuos, per aliquotdies in domo eius, mẽsa & prãdio exceptos vidimus: cùm in patriam suã post insignẽ illã & memorabilem Turcarum cladẽ, apud Naupactũ à classe Christiana factã libertate donati, per vrbem reuerterentur: quorum plerosq; etiã in fidei negocijs instruẽdos curabat: & ad verũ ac legitimũ Patriarchã Cõstant. qui tum erat Scipio Card. de Pisis mittebat, vt hũc potius pro pastore Patriarchaq; suo, quàm illũ quẽ se Constantinopoli vidisse & salutasse glo-

gloriabãtur agnoſcerẽt, ac ab eo benedictionẽ acciperent. Viatico quoq; ſingulos, vt poterat, ſubleuabat, ac vt à Pontifice quoq; ſubleuarentur; ſæpe laborabat. Inueniebat eñ animus eius materiã liberalitatis, etiã in anguſtiis paupertatis. Nõ raro enim & hoc in Hoſij domo accidebat, vt ad explẽdas omniũ indigentiũ neceſſitates pecunia deficeret, quòd cũ illi pecuniarum adminiſtri denũtiarẽt; nõ defecit vnquã, aiebat, apud me pro pauperibus Chriſti pecunia, neq; deficiet. Vẽdite vaſa, aut veſtẽ aliquã, aut quidpiã ex domeſtica ſuppellectili diſtrahite, & pauperũ neceſſitatibus ſine mora ſuccurrite, nec vnquã patimini pauperẽ indonatũ ex domo mea recedere. Quã rem, cùm aliquãdo cognouiſſet, vir animi excelſi iudicijq. maturitate laudatus, Chriſtophorus Madrucius Cardinalis Tridentinus manu ſua propria, in hęc illi verba ex oppido ſuo Soriano ſcripſit. Vix poſsũ ęquo animo ferre, quòd optimus Orthodoxę religionis parẽs & de Apoſtolica ſede adeo bene meritus, cogatur propter rẽ anguſtã domi, ab Vrbe ſecedere, & cũ illa veneranda canicie, verſari in locis, quæ vix hyemali tẽpore florida iuuẽtùs poſſet perferre, & pati donec penè ab vltima Thyle, & ab Herculeis colũnis remediũ adferatur. O tẽpora, ò mores, Doleo ego mirũ in modũ, quòd ea pręſtare nõ poſsũ, quę geſtiret animus adimplere; & q̃ ſanctitas & eruditio tãta mereretur. Quod autẽ habeo, hoc Ill. D. V. offero ex corde

humiles has meas casas, & dimidium panem mearum qualiumcumque fortunarum. Non solùm autem verbis obtulit, sed re, quod obtulit, præstitit, missa ad vsum Hosii non contemnenda pecunia. Non ab simile officij genus præstitit vir & natalium splendore & animi magnitudine excelsissimus Aloysius Cardinalis Estensis, & patruus eius Hippolytus Card. Ferrariensis. Omnium autem liberalissime necessitatibus Hosij succurrere consueuerat, pientissimus Pontifex Gregorius xiij. qui nonnunquam semotis arbitris in cubiculo suo, oblata sponte sua magna pecunia, summa cum beneuolentiæ paternique animi significatione, onustum à conspectu suo dimittebat, vt illi exercendę liberalitatis in egenos & inopes, quorum greges in illius domo videbantur, materiam ministraret.

Capvt XV.

De Polonis autem nostris quid dicam? quos paterno prorsus affectu & beneuolentia tanquam filios charissimos diligebat. Et cùm ad officiũ Episcopi hospitalitatis quoque virtutem pertinere meminisset, valdeque decorũ esse, patere domos illustrium virorum, illustribus hospitibus, volebat vt ijs præcipuè domus quoque sua apertissima & perhospitalis esset. Quamobrem sępe Regum & Principum

ministros Romã vementes, sepè priuatos quoque nobiles & amicos, sæpè etiam egestate oppressos, & patronis tectoque destitutos, domo hospitio, mensa, per multos aliquando menses excipiebat: consilio, auxilio, studio, re, opera quoscũque poterat, magna cũ alacritate adiuuabat. Et cũ essent Interregni tempore, quod mortẽ Sigismundi Augusti Regis Polonię consecutum est, tùm etiam propter grassantem in Lombardia pestem, omnia ferè itinera clausa, ita vt nec litteræ, nec pecuniæ, ex Polonia in Italiam importari possent, & multi Poloni nobiles in summa pecunię necessitate versarẽtur, vt illorũ egestati succurreret, liberalitate sua, partem necessariæ suppellectilis, pro pignore tradere, & quam potuit pecuniam corradere maluit, quàm eorum necessitatibus deesse: menstruumque, subsidium singulis assignabat, etiamsi ipse quoque in eadem plane nauui veheretur, & ijsdem infortunijs esset, quibus reliqui Poloni, expositus. Peregrinos autem & mendicos in domum suam recipiebat, faciens ex ea, sicut iubet Chrysostomus, Xenodochiũ: segregãs cellulam, statuẽs lectulum, mensam, lucernam, tanquam Christum ipsum in ea recepturus esset: & alios præterea non paucos alebat quotidie. Aliquando simul omnes eadẽ mensa excipiebat, iuxta illud Tobiæ, Panem tuum cum egentibus & esurientibus comede; & de vestimentis tuis nudos tege: & piam illã

& veterem maiorum nostrorum cantilenam, de intemerata Virgine Maria, Bogu Rodzica nuncupatam, canentes magna num animi sui voluptate, & dulcissimis lacrymis audiebat. Anno verò sancto, ad quatuor vrbis stationũ. Ecclesias deducebat: sanctissimam Eucharistiam manibus suis distribuebat; sanctorum reliquias, sepulchra, martyria, specus, cæmiteria, vt viderent, procurabat: singulorum etiam victorias & triumphos recitari iubebat, multos in patriam redeuntes, vestibus, omnes viatico donabat: litterisque patentibus commendabat. Et cùm à nonnullis admoneretur, vt domesticę quoque necessitatis rationem duceret, ac parcius aliquanto seminaret; nescire se dicebat, quantum indigenti & mendico satis esset, sed scire, quantum præstare Christi patrimonij dispensatorem oporteret. Omnibus dandam esse eleemosynam dicebat, ne Christo negaretur. Aegrotantes etiam sæpe per alios, quosdam etiam in Hospitali Consolationis nuncupato, decumbentes ipse visitabat: & consolantium officio fungebatur. Solebat enim ægrotantium quoque singularem curam gerere. Si qui domi suæ decumbebant, quotidie visitare, assidere, consolari, hortari ad pacientiam. Non satis habuit remedia suppeditare: sollicitus adfuit, ad suspecta tempora occurrit, nullum illi ægrotantis ministerium fastidio fuit. In tanta turba negociorum, præcipuam

puam curam de ægrotantis valetudine se n-
per habuit. Sæpe etiam exemplo Sancti Do-
minici ad ægrotantem cum hoc nuncio mitte-
bat. Abi, & dic me iussisse, ne deinceps febri-
citet, ac facta dictis nonnunquam respondisse.
Cum autem & hoc quoque Clementis D. Pe-
tri successoris præceptum meminisset; vt Epi-
scopus ne sit μονόφαγος, nunquam solus ad men-
sam & cibum assedit. Maluit aliquando vltra
horam solitam refectionem differre, dum ali-
quem conuiuam inueniret, quàm buccellam
panis solus comedere: quàm se quoque nun-
quam solum comedisse patientissimus ille Iob
gloriatur. In mensa autem lectio sacra sem-
per habebatur; qua finita, de scripturæ locis, de
Patrum sententijs, de Catholicorum scriptis,
de hæreticorum imposturis, sine vlla satietate
loquebatur: de negocijs sæcularibus, alios po-
tius loquẽtes audire cõsueuerat, memor illius,
quòd in ore sęculariũ nugę, nugę sint, in ore sa-
cerdotũ & Episcoporũ blasphemiæ. Cum enim
os suũ consecrasset Euangelio, nugis illud & o-
ciosis sermonibus aperire, sacrilegiũ iudicabat.
Vanitatẽ enim esse ab Augustino didicerat, mũ-
dana ista etiã nota profiteri, pietatẽ autem Deo
cõfiteri: cũ in istis sęcularibus ociosisq. sermo-
nibus sæpe eueniat, vt aliquis etiã nolens, pro-
brũ castis, labẽ integris, infamiã bonis inferat.
Nũquã ex vlla sciẽtia gloriã, nunquã flosculos
carpebat. Quid ætas, quid dignitas, quid graui-

tas, quid honos postulabat, semper cogitabat. Nunquam honori, nunquam existimationi cuiusquam detrahi, nunquam cuique obloqui patiebatur: & si quis parum accuratè loqueretur, nec irridebat, nec repræhendebat, sed tacebat, quoad per silentium eius pudore prohibente ipse conticescebat. Panes, vt vocant Pontificios, inter assidentes conuiuas diuidebat; memor eius, quod scribit Gregorius; Quamuis parua sint, quæ offerantur, pro magna tamen benedictione semper suscipienda sunt, quæ ex Petri patrimonio veniunt. Si quos aliquãdo nobiles, Polonos præsertim, odijs certare audiebat, statim ad cõcordiam & fraternam reconciliationem reuocabat: & eos qui in patriam ex Vrbe reuertebantur, cùm sua quisque studia & officia & paratã inseruiendi voluntatem proponeret, & si quid imperare vellet abeunti, quæreret; exemplum sanctissimi martyris Cypriani imitatus, qui ex Africa in Italiam nauigantes, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent; ipse quoque, Nil aliud, dicebat, à vobis maiore studio, magisque ex animo contendo, quam vt in fide Christiana, Catholica, Romana constanter permaneatis, & quos potestis Christo lucrifacere contendatis. Dicite istis qui se diuiserunt, quòd fides non est nisi vna, & hæc vna non est nisi Romana. Quos autem sciebat parentes vel affines habere hereticos, ab ijs Chyrographum exige-

exigebat, quo promittebant, quòd nullis maiorum suorum, vel minis, vel precibus deterreri se paterentur, ab auitæ, Christianæ, Catholicæ, Romanæ, fidei & religionis confessione. In rebus ad Rempub. pertinentibus, si quid erat illi statuendum, nunquam ingenio iudicioque suo præsidebat. Sed cum sciret plus oculos videre, quam oculum, plus in alieno negocio, quàm in suo, libenter, vt in morbo Medici, in tempestate rectoris, in lite Aduocati, sic in explicando difficiliore Reip. negocio, intelligentium virorum iudicia perquirebat: nec eum vnquam profiteri puduit, nescire, quod nesciebat: quod in ista dignitate, grauitate, auctoritate, eruditione virò, valde miratus est vir doctissimus, Michael Medina Hispanus Theologus, ex ordine sancti Francisci, quo Hosius familiariter vtebatur.

CAPVT XVI.

OFficium Diuinum siue horas Canonicas semper solus genibus flexis distinctè & articulatim, cùm poterat in Ecclesia, vel in secretori saltem cubiculo, semotis arbitris, clausoque ostio, deuotissimè recitabat. Missę sacrificium semper in Ecclesia vel dicebat, vel audiebat. Solebat autem ipse omnibus festiuis diebus dicere. Etsi quando per inualetudinem domo

domo prodire non poterat, ab audienda missæ per aliquot dies abstinere, quam in ædibus priuatis tanta mysteria celebrare maluit. Pridie autem eiusdem diei, quo missæ sacrificium celebrare decreuerat, tribus tantum panis buccellis sese recreabat, vsque ad sexagesimum ætatis suæ annum. Deinceps enim cibo paulo copiosiore, coactus est fractas ætate laboribusq; vires reficere. Ante missam nullis vnquam negocijs operam dare volebat. Soli meditationi vacabat, reliquis omnibus curis & cogitationibus ab animo suo procul explosis. Quamobrem in ipso sæpe diluculo, qualecunque tandem cœlum esset, ad Ecclesiam accedere, consueuerat. Cui aliquando medicus. malus, inquit, aer est, nocebit. ille vero. Sed Deus, ait, bonus est, iuuabit. Porrò in offerendo Sacratissimo missæ sacrificio, tam erat fixo in Deum animo, vt aliquando generalis Confessionis loco, priuatam cõfessionem, cum peccatorũ suorum enumeratione (plus enim semper volebat cælare virtutes, quam vitia) recitare fuerit aggressus: nec aliter illa mysteria peragebat, quàm si Christum Dominũ corã cerneret pati & crucifigi. Alio quoque tempore, cùm id quadam feria sexta ratio valetudinis postularet, monuit eum medicus, vt ouis recentioribus vesceretur, quòd essent, valde salubria & delicata. Ille verò memor, quid in simili casu Palęmon respõderit Pachomio. Quo meliora sunt ait, & deli-

catiora,

catiora, hoc minus hodiernæ diei conueniunt. Christum ista die passum esse: se nolle delicias consectari. Orationes suas cum priuatas, tum publicam mensæ benedictioné, vbicunque poterat, in Orientem versus faciebat, ad paradisum, velut ad antiquam patriam, vnde primus omnium parens Adam exciderat, respiciens, eoque redire gestiens. In omni motu gestu, incessu, ad dexteram se partem conuertebat, sicut de beato Simone memoratur; vt quantum ad oues, ad dexteram Iudicis collocandas aggregari cuperet; non solum in animi studijs, sed etiam in omni corporis motu & habitu declararet. In cæteris quoque priuatæ vitæ studijs, & cura corporis, veteris pietatis & simplicitatis imaginem referrebat: quam in eo sunt præcipui quique viri vehementer admirati, hoc præsertim temporæ & moribus & verbis nimis fortasse perpolito. Sed hoc quoque ad perfectionem viri accedere debuit; vt esset prudens sicut serpens, simplex, vt columba; moribus simplex, doctrina multiplex: vt bona sine fuco faceret, mala sine offensione fugeret. Magnifica Vrbis opera, & sepultas Romanæ potentiæ reliquias, superbasque ruinas, nunquam visus est, nisi quis forté transeunti ostendisset (sicut olim in eadem Vrbe Ammonius cum Athanasio fecisse memorantur) curiose perlustrare. Basilicam Sanctorum Apostolorum. Petri

Petri & Pauli, præcipuo quodam studio frequentissimè visitabat, & omnes, cùm Reipub. Christianæ, tum proximorum, tum pias quoq; necessitates, ad venerandos B. Apostolorum cineres, ad beata illa tantorum Apostolorum limina, Domino commendabat.

Capvt XVII.

A Romana Nobilitate valde colebatur, quæ non paruam ex illius præsentia, & immortalibus in Ecclesiam Romanam meritis voluptatem capiebat. Vulgus hominum cum quadam admiratione sanctitatis & integritatis, vota passim facere audiebatur, vt in Ecclesia Dei videre liceret multos Hosij similes, qui tot, tam præclaris ad imitandum exemplis, abundarent: nisi quod non æque poterat illam morum suauitatem, comitatem, affabilitatem, degustare, propterea quòd Hosius linguæ Italicæ vsum & consuetudinem ita promptam & expeditam non habuit, vt ad explicandam animi sui sententiam, verbis commodis vti posset. Maluit enim in hac fere iā acta ætate sua. Latinè loquendi consuetudinem perpetuò retinere, quā linguā senio confectam, sub ferula & pręceptore, inusitatis vocabulis & oris inflexionibus, imbuere, non pertinacia vlla, sicut alibi de se testatur Socrates, aut contemptu ductus, sed quod ad tuendam

dam existimationem suam: & sicut fidei, ita Latinæ quoque linguę principatum conseruandum, hoc quoque pertinere existimabat, vt ne illa ætate, grauitate, illo etiam nomine quod nactus erat, siue id verum esset, siue falsum, auram popularem, & vulgarium hominum plausus sectari velle videretur. Quamuis solebat etiam aliquando per iocum ad quosdam patricios Romanos (inter quos familiarissime vtebatur viro pio grauitatisque & consilii pleno, D. Virgilio Crescentio) dicere; Quòd ego Romana lingua vtor ea, qua vos totum orbem Imperio vestro subegistis; non ea qua deinceps subiecti estis. Subiectionis argumentum esse certissimum, linguam victoris discere. Viros doctos & pios quos & fama, ex scriptis, ex sermonibus hominum cognouerat, omnibus officijs complectebatur; omnium sibi voluntates conciliare contendebat; omnium se precibus & orationibus commendabat: ad consilium, ad colloquium, ad mensam, ad consuetudinem suam adhibebat. Quo factum est, vt innumeri pene scriptores Ecclesiastici, religionis Catholicæ defensores, libros suos Hosio examinandos corrigendosque offerrent, atque dedicarent: sicut olim Origeni dedicabant, ob excellentem & peruagatam sanctitatis & eruditionis opinionem: quos etiam semper omnes ordine, à capite ad calcem, partim ipse per se solitus erat legere, partim legen

tes

tes audire;ac velut apis sollicita,optima queq; ex singulis excerpere.Siue curru,siue lectica,siue naui veheretur, siue domi, siue foris degeret,nullũ vnquã tẽpus elabi sibi passus est, quo minus perpetuã operã bonorũ auctorũ lectioni nauaret.Vidimus his ꝑculis nostris, cùm ex Concilio Trident. ad pascendas oues suas,summa, vt dictum est, & asperrima hyeme, mulo quodã vectus properaret, ne temporis iacturã faceret,ministros suos, quos à pedibus habebat (Stafieri vocantur) medio sepè itinere, ad lectionem adhibuisse. Alio quoque tempore, Vistulam tempestate conturbatam piscatoris scapha traijciens, Rescio quendam librum legenti timiditatem exprobauit, quòd fluctuante nauicula,& iam etiam aquas sorbente, perculsus,ab incepta lectione aliquantum destitisset.Et ad Comitia Regni, quadrigarum curru proficiscens,cum Andreas Tricesius iuuenis omnibus pietatis artibus deditus, curru properante legeret,nescio quo casu, currus euersus omnes in terram simul cumHosio excussit,nec dum erat è puluere venerandus senex subleuatus,cùm Tricensium. Quodlibeta in puluere vestigantẽ appellans, Tu ne is quidem periculis admonitus,tẽporiperda esse desinis? Perge,quæ cœpisti legere,ne cum periculo valetudinis,tẽporis etiã iacturã faciamus : & aliquot etiam auctoris vltima verba quæ cadens audierat,recitauit. Sic ille horas suas auarissimè seruabat.

nabat. Nec certè etiã his extremis vitæ diebus, de studio feruoreque legendi quicquã remisit. Nã sex illos Tomos de vita & rebus gestis Sanctorum, à Surio Carthusiano digestos, summa cum diligentia & attentione, iterum atque iterum legit, & D. Bonauenturæ opuscula, & Iansenij Paraphrases à capite ad calcem percurrit. Osorij verò laudatissimi Albargiorum Episcopi, Paraphrasim in Esaiam sic adamauerat, vt eam plus triginta vicibus perdilligẽter legerit: cùm istum præcipue Prophetam, Augustino vt legeret, commendatum ab Ambrosio fuisse meminisset. Et alium eiusdem Osorij libellũ, quẽ De vera sapientia inscripsit, pridie eius, quo ex hac luce migrauit, diei, magna cum voluptate legi sibi iussit. Memoria quoque quæcunque voluit, ex omnibus libris tenuit: quam tantum abest, vt ætas ingrauescens eriperet, vt nobis audientibus sæpe multos, & Homeri Græcos, & Vergilij Latinos versus, & ex Platone, Aristotele, Cicerone, multa recitaret, quę ante 30. vel 40. annos memoriæ mandauerat. Hoc etiã ab illius fratre Ioanne Hosio accepimus quod oculorum aciem ab ipsa vsque infantia valde obtusam & habetem habebat, ita vt nil penitus posset eminus legere: sed ad ipsos oculos appli care librum oportebat. Ætate vero procedente, quo diligentius, quoque frequentius lectitabat, eo visum acutiorem aquirebat: qualem etiam ad extremam vsque ætatem conserua-

seruauit.Solebat autē his vltimis vitæ suę diebus, immortales agere Deo gratias,quod aliquem tamen in patria sua laborum & contentionum earum fructum videret, quos cum Orthodoxis Episcopis,& sacerdotibus, veri verbi Dei verissimis & certissimis interpretibus, & ministris,pro pace Ecclesię Dei sustinebat.Hæreticorum enim in persequenda fide Christiana minor audacia, Catholicorum autem in ea conseruanda & propaganda maior quotidie firmitas & constantia videbatur, Quam enim Lutheranam perfidiam in patriam inuectam oculis ipse suis viderat,ante annos plus minus quadraginta, eandem vicissim ad interitum inclinatam,peneque etiam explosam,illis ipsis oculis aspexit. Sexcentos vno quodam anno viros Nobiles Ecclesiæ Dei reconciliatos, ex Patribus Societatis Iesu cognouerat. Iuuenum autem & adolescentum multa millia, ex equestri tantum ordine censebantur: qui ab eadem Societate,vera fide cæterisque pietatis artibus instructi,alijs vicissim multis,plerique etiam parentibus & propinquis suis, duces & auctores extiterunt, Orthodoxę amplectendæ veritatis. Incredibile est quantam capiebat voluptatem, cùm videret,Laskos, Firleios,Zborouios,Dzyalinios,kotkeuicios,Tomicios,Sapias,& alios multos magnarum & Illustrium familiarum viros:cum Ostrouienses & Slucenses, & Olicæ Niesuesique Duces, Scismaticorum & hæreti-

corum

eorum liberos, Ecclesiæ Catholicæ vnitatem amplexos, Synagogas Antichristi à propriis parentibus excitatas euertisse, ministros impietatis eiecisse, eiectos Christi sacerdotes restituisse; templa, sacra, aras refecisse, reditus attribuisse. Collegia quoque Societatis Iesu, magnis sumptibus & impensis suscitasse. Tenere quoque lachrymas optimus ille Cardinalis non potuit, cùm illustrissimos fratres Raziuilos, Olicæ Duces, cùm Albertum Laskij Palatinum; Siradiensem, cùm Dzialinios, Lasocios, Varsouitios, ad B. Apostolorum limina prostratos, Romani quoque Pontificis Christi Vicarij, pedes humiliter & demisse exosculantes intueretur, in ea Vrbe, quam prius cane peius & angue oderant, quamque nouam Babylonem & certissimam Antichristi sedem existimabant. Rosas ex spinis natas & ex tribulis ficus collectas dicebat. Illustrissimum autem Principem Georgium Radziuilum nunc S. R. E. Cardinalem & Episcopum Vilnensem, singulari quodam amore & honore prosequebatur; quod parẽtum & præceptorum de religione errores non solum reliquerit, sed animum præterea ad Ordinem Ecclesiasticum adiecerit: in quo sustinendo ita se per Dei gratiã adhibet, pietate, liberalitate, vigilantia, nullum vt veri pastoris officium, aut boni & fidelis serui Dei munus prætermittere videatur, quod non exequendum susciperet. Eadem plane voluntate propendebat in Ioan-

nem; Demetrium Solicouium: nunc Archiepiscopum Leopoliensem laudatissimum, qui & ipse ex Schola Melanchtonis Vittenbergensi profectus, cum in Hosij libros incidisset, veritatisque lucem aspexisset, ex Saulo Paulus, & ex persecutore factus est Apostolus, decies tantundem, quantum nocere poterat, singulari suo ingenio, & eloquendi elegantia, scribendique facultate, Ecclesiæ Dei prodesse commodareque contendit. Longum esset singulorum nomina recensere, qui palam & aperte fatebantur, se ex Hosij libris, & lucubrationibus, aut etiam ex sermone & conuersatione domestica, viam veritatis agnouisse.

CAPVT XVIII.

SCRIPTVRAE verba exactissimè recitabat, nec vnquam ea, vel in scribendo vel in loquendo, alijs quàm in veteri & nouo Testamento habebantur, verbis, magnum illum Spiridionem imitatus, efferre voluit; dicens eam se habere pro pulcherrimis & elegantissimis flosculis: vt de eo quoque rectè dici possit, quod de suo Nepotiano Hieronymus, aurum calcans scædulas consectabatur, & assidua lectione, meditatione, scriptione, pectus suum bibliothecam Christi

fecerat. Fratres, nepotes, consanguineos, & domesticos suos, quorum etiam curam habere iubet Paulus, ita, vt suos olim Diuus Augustinus cui præcipuo quodam studio deditus erat, tractabat: non, vt diuitias haberent, luxuriæ ministras, sed, vt non egerent: vt habentes victum & amictum his contenti essent. Quorum causam cùm apud illum sæpissimè ageremus, & præsertim nepotum, qui nati ad omnem laudem videbantur, vt eorum rationes auctas & locupletatas vellet. Timeant Dominum, inquit, & custodiant mandata eius, & nihil eis deerit. Volunt esse potentes in sæculo, volunt esse gloriosi, volunt esse diuites, timeant Dominum, & custodiant mandata eius. Beatus enim vir qui timet dominum, potens in terra semen eius, gloria & diuitiæ in domo eius; immò vero cùm iam esset cœlestem illam in domum ingraturus, atque rogaretur a nobis[a], vt nepotum rationes Gregorio Pontifici commendaret, non aliter eos commendare voluit, quàm suos olim filios Atheniensibus Socrates commendabat: si videlicet eadem quæ ipse studia vitæ, & officia sectarentur. Et quoniam Leuitarum Ordini præceptum esse meminerat à Domino, In terra eorum nil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua, in medio filiorum Israel; nullam quoque

ipse partem in terra, nullos agros, nullas posses-
siones, nulla vt vocant bona immobilia, ab eo
tempore habere voluit propria, quo se Christo
per sacerdotium consecrauit. Nam & patrimo-
nium suum fratri suo Ioanni resignauit, & Ec-
clesiæ tantum redditibus contentus esse voluit
& ijs sic vsus est, vt magis audiret suos esse,
quàm sentiret. In testamento quoque, non fra-
tres aut nepotes, sed Christum & seruos eius,
exiguę suppellectilis, quam relicturus erat, hę-
redem scripsit: in hoc quoque Sanctissimi Pa-
tris Chrysostomi consilium imitatus, qui iu-
bet Christum cohæredem filijs, nepotibusque
relinquere: quippe ingens est gloria morientis
Episcopi, magis amare Christi pauperes, quàm
quosuis terrenales nepotes. Libet autem ver-
ba propria testamenti isto quoque loco scri-
bere, cum sint plena pietatis, & animum osten-
dant amore diuini nominis vehementer inflam-
matum; Cũ crebro auribus meis insonet præ-
clara sapientis illa vox, Nescit homo finem
suum; sed sicut pisces hamo capiuntur, & aues
laqueo comprehenduntur, sic rapiuntur homi-
nes: nec vnquam illorum verborum obliuisci
possim, quibus nos monet ipsa sapientia, pa-
rati semper, vt simus, & vigilemus quia nescitis
inquit, diem neque horam. Quare quoad &
mentis, & corporis viribus non esse videor de-
stitutus, vt meæ domui disponerem, & ea quæ
sunt nouissima prouiderem, faciendum esse du-
xi,

xi. Quocirca facultate mihi per Pium Quintũ Pontificem concessa, meam vltimam voluntatem continens, hoc testamentum condo, facio, & ordino, in hunc qui sequitur modum. In primis profiteor, & præ me fero, testatum etiam omnibus esse cupio, quocunq; tempore Deus de statione vitæ huius me decedere iusserit, quòd non nisi in Christi nominis, & Catholicæ fidei confessione decedere cogito: eius, inquam fidei, quæ nõ quinquaginta his annis nata; sed ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus, in hodiernum vsque diem, succedentibus sibi Episcopis, secundum seriem successionis, & populorum consensione firmatam, nobis est per manus tradita: eius fidei quam puer didici, quã à Beata Matre, deinde & à nutrice mea, cum ipso quodammodo lacte suxi: quam postea iustis auctam incrementis professus, orbi testatã feci, quam ex omnibus mundi partibus, in vnũ congregati patres, frequenti numero, nec pietate minus, quam doctrina prȩstantes, in sacro Concilio Tridentino, cui quamuis indignus Pij. IIII. Pontificis nomine, cum alijs Legatis. S.R.E. Cardinalibus præsedi, vnanimi consensu receperunt, & approbauerunt, denique per longam Pontificum Romanorum successionẽ, sibi per manus traditam, sequitur Pius quoq; V. Pontifex qui nunc in eius Cathedra sedens, eandem cum illo fidei doctrinam profitetur. Quã etiam ob causam, quod aliquando quen-

dam, è Sanctis patribus dixiſſe recordor, cùm adRomanum Pontificem Damaſum verba faceret: Nō noui Vitalem, Meletium reſpuo, Paulinum ignoro : quicunque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Hoc ego totidem verbis, mutatis hæreticorum nominibus, ad ſucceſſorem Damaſi, qui nunc præſidet Eccleſiæ Catholicæ dico. Non noui Lutherum, Caluinum reſpuo, Seruetum ignoro. Quicunque tecum, Pie Pontifex, non colligit, ſpargit : qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Qui Papiſta non eſt, Sathaniſta eſt. Nullum itaque primum niſi Chriſtum ſequens, tuæ beatitudini, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super hanc Petram Eccleſiam ædificatam eſſe ſcio. Cui ſi quis iungitur meus eſt. Huic igitur adhærere, nec vnquam ab ea quoad ſpiritus hos reget artus, auelli me velle clara voce pronuncio. Ac ſecundum illud quo Chriſtiani cenſemur omnes, nullum vel glorioſius, vel ſalutare magis nomen mihi tribui poſſe perſuaſum habeo, quam ſi Papiſta vocer. Si quid autem à me vel dictum, vel ſcriptum eſt aliquando, quod cum huius Cathedræ doctrina non conſentiat, (quòd certè ſciens & prudens feci nunquam) id pro non dicto & pro non ſcripto haberi volo. Quin ſi deinceps etiam grauiore morbo correptus dicerem tale quid, id errori mentis potius adſcribi velim, quàm quod ex animi mei

mei ſententia profectum eſſe iudicetur. Hæc enim eſt vltima mea voluntas, quam Dei fretus auxilio mutabo nunquam; quod ſicut per omne vitæ meæ tempus ab Eccleſia Catholica me non diſiunxi, ſic nec moriens ab ea, vel eius doctrina diſiungi cupio: ac non in ea modò, verum & pro ea, ſi res ita poſtulauerit, mori me paratum offero. Non meis vllis viribus confiſus, quas infirmas eſſe ſcio, verum Dei miſericordia fretus, quod qui dedit promptam hanc voluntatem, ſi conferenda fuerit ad rem aliquando, dabit etiam facultatem. Hac ſolemni facta proteſtatione quòd & viuere, & mori cogito in Eccleſiæ gremio: in qua ſola ſpiritum veritatis, extra eã vero ſpiritũ vertiginis, erroris, mendacij, in qua ſola remiſſionem peccatorum, extra eã verò ſpem ſalutis nullã eſſe, mihi certũ eſt, & indubitatũ: quandoquidẽ in illius fide permãſi ſemper, nec ab ea me diſiunxi, vel etiã deinceps ſum diſiuncturus vnquã. Tãto maiore cũ fiducia accedo, ad gratiæ tuæ thronũ, qui pater es miſericordiarũ, & Deus totius conſolationis, vt miſericordiam cõſequar, & gratiã in tuis oculis inueniã. Quocũq. tẽpore depoſitũ tuũ repetere, a me tibi viſum fuerit, in manus tuas commendo ſpiritũ meũ, quem ſi tu cõtempleris, qualis ipſe eſt ex ſe, fateor quod non eſt dignus, qui ſub oculos tuæ Maieſtatis veniat, cùm ſit omni ſorde plenus. Cæterum ſi filij tui ſanguinem, quo lotus &

emundatus est, si cruciatus inspexeris, quos longe tulit acerbissimos pro peccatis nostris vt nos tibi redderet acceptabiles, digni certè sunt illi, propter quos tanto pretio redemptũ, facias eum participem gloriæ tuæ sempiternæ. Noli Pater clementissime, noli respicere in faciem meam: quin auerte potius à peccatis meis faciem tuã; &, ò protector noster, aspice Deus: respice Deus in faciẽ Christi tui; respice in faciẽ dilecti filij tui, pro peccatis meis in cruce pendentis, & moriẽtis, & in eorũ remissionẽ de sau cio latere copiosum sanguinem profundentis. Cõfiteor tibi, Pater, quòd grauia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui. Sed vtinam appendas ea, Domine, in statera, & quam pro me calamitatem pertulit innocens filius tuus, certe multo grauior apparebit hæc, & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quàm illa sint, vt propterea contineas in ira tua miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis Maiestatis tuæ aspicias, verùm interea dignissimus est ille, propter cuius passionis & mortis meritum, non modo respicias me, verum & corones. Quamobrem venio ad te, pater clementissime, venio ad te, nullis meis, sed multis filij tui Domini & redẽptoris mei Iesu Christi meritis onustus: qui cum pretiosa morte sua, non modo pro meis, verum etiam pro totius mundi peccatis, abunde tibi satisfecerit, huius mortis meritũ, in quo

solo mea spem, & fiduciam omnem habeo defixam, adfero ad te: hæc est iustitia mea, satisfactio mea, redemptio & propitiatio mea. Meritum meum, est mors Domini mei. Non sum inops meriti, quamdiu miserationum Dominus non defuerit. Etsi multæ sunt misericordiæ Dñi mei, multus & ego sum in meritis meis. Quantò potentior ille ad saluandum, tantum sum ego securior. Vides igitur, clementissime Pater, quibus meritis onustus ad te veniam, ijs nimirum quibus negare nihil potes. Quamobrem quocunque tempore repetere tibi visum fuerit, accipe pater cœlestis, accipe spiritum meum, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso filij tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice: propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oues tuas a dextris colloces, & vna cum alijs electis tuis exoptatam illam vocem exaudire facias, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Quod vt consequi possim B. Mariæ Virginis, & Sanctorum qui vel in cælo cum Christo iam triumphant, vel in hac lachrymarum valle nobiscum adhuc militant, precibus adiuuari peto. Spiritu meo, Patri meo cælesti commendato, quod circumfero corpus mortis huius, vnde prodiji mãdari terræ volo. Si cum in mea Diœcesi fuero, me contigerit æternam illam in domũ ex huius vitæ diuersorio migrare, Braunspergæ sepelia-

tur in templo Societatis Iesu. si autem extra Diœcesim, in eo quod proximũ templum fuerit, modo sit Catholicum absque pompa, sed non absque iustis tamen Ecclesiæ cæremonijs terræ mandetur. Vestiantur pauperes: detur Eleemosyna, etiam simul & sacerdotibus qui prosequuti funus fuerint. Quoniam vero, quod habui patrimonium eo pridem D. Ioanni Hosio fratri meo natu grandiori cessi, quam cessionem etiam nunc ratam habeo, nullum vt mihi supersit iam, quàm Christi patrimonium, quicquid ex illo penes me est, quod valde exiguum est, non alios eius hæredes instituendos duxi, quàm N. & N. Hos etiam vt in precibus sacrificijs & suis mei memores esse velint rogo, quo possim in extremo die meo propitium habere Deum, supplices misericordiam eius implorent. Hucusque verba testamenti. Hanc autem suam in Deum & in pauperes eius pietatem, non scripto solum & calamo, sed re & veritate testatus est. Templum enim patroni sui Sancti Stanislai Martyris, & Episcopi Craccouiensis & illi contiguum Hospitale nationis Polonicæ, apud Sanctũ Saluatorem ad Tabernas obscuras, ipse primus in vrbe non paruo suo sumptu instituit, & à fundamentis exædificare cœpit: vt haberent nationis nostræ peregrini, quod per tot sæcula non habebant, vbi caput suum, ad Beatorum Apostolorum limina

mina venientes reclinarent, quod tamen morte præuentus perficere non potuit, Deo occasionem istam Principum nostrorum pietati reseruante, Stephano Regi gloriosissimo, & coniugi eius Annæ Iagelloniæ Reginæ pientissimæ, pauperum Christi fautrici liberalissimæ, qui progressum inchoati Hospitalis, piis eleemosynis subleuare summa cum voluntate non desinunt. Sed de morte Hosij, uel potius de transitu ex morte a uitam, sequens iam nostra oratio, quam recenti re & dolore nostro statim post illius dormitionem, ad Ioannem Hosium fratrem eius, in Prussiam miseramus, indicabit.

CAPVT XIX.

MEnses aliquot intercesserant, ex quo cœperat ualde languidè ualere, & alui fluxu paulo uehementiori laborare. Nunquam tamen adduci potuit, ut plusculum aliquid otio, quietibusque cæteris, & uitæ commoditatibus indulgeret, sed in suscepta propositaque sententia constantissime perseuerabat: nec de studio, lectione, scriptione, cæterisque pietatis exercitijs quidquam remittebat; sed omnem animi sui contentionem (sicut ij solent qui ad metam instituti cursus accelerant) magis atque magis ad om-

nem pietatis meditationem incitauit. Cum autem in omni vita sua, dies ieiuniorum ab Ecclesia institutos religiosissime castissimeque seruasset; ne in hac quidem decursa ætate sua, sententiæ suæ constantiam voluit immutare. Quamobrem & superiorem Quadragesimam, summa cum animi alacritate, in summa abstinētia, & in vsu Quadragesimalium ciborum transegit: nec potuit vllis aut medicorum, aut quorumcunque tandem precibus, & cohortationibus expugnari, vt, quos illi vocant, cibis vteretur salubrioribus. Immo verò solitus erat dicere, propterea se ieiuniorum dies ab Ecclesia institutos diligentissime seruare consueuisse, quòd vellet esse longæuus super terram. Scriptum esse memorabat; Honora patrē tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Pater, inquit, meus; est Deus in cælis. Mater mea, est Ecclesia in terris. Ille præcipit vt ieiunem, ista præcipit, vt his, vel illis diebus, & isto vel illo tempore ieiunem. Vtrumque libentissimè audio, certamque spem concipio futurum, vt obedientiæ meæ fructum hunc referam, vt sim longæuus, sicut mihi scriptura promittit, super terram. Ab illo itaque tempore, nescio tamen an ex eadem causa, cœperunt vires stomachi ætate, laboribus, fatigati, paulo etiam vehementius relaxari, ita vt longè quam ante, minus vel cibum appeteret, vel acceptū concoquere, aut retinere diutius posset. Paulo

post

post autem, diarrhææ quoque morbo correptus est, qui nunquam postea constitit: cuius ille tamen molestiam semper tulit moderatissimè, nisi quòd plerumque à studijs rerum diuinarum, & à pietatis officijs retardabatur, ita vt nesciret, sicut ille dixit, quando esset cum galea domo sua prodeundum. Sic igitur cùm esset valetudine valde dubia & incerta, magis atque magis per aliquot menses ventris illa fluxione debilitabatur. Ac monebatur quidem a nobis vt antequam cælum Romanum ignibus vehementioribus, quibus solebat vim penè totam satis languiduli corporis exhaurire, inflammaretur, ab vrbe rusticatum secederet, valetudini operam daret, seque Christianæ Reipublicæ quę adhuc ope tam fecundi pectoris indigebat conseruaret. Sed is a perpetuo suo instituto reuocari non potuit, vt antè festum Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum venerandi cineres in vrbe requiescunt, quos ille in summo semper cultu venerationeque habuit, Roma pedem efferret; maluitque subire valetudinis suæ periculum, quam honori tantorum Apostolorum, in hoc ipso loco deesse, in quo profuso pro Christi fide sanguine, Deo suo spiritum reddiderunt: quem illis ad iij. Calendis Iulij Vrbs Roma simul cum orbe reliquo vniuerso, solet summa cum ceremonia celebritateque exhibere. Sic igitur ad V. Idus Iulii, quæ fuit feria sexta, dies commemorandæ
pas-

passioni Dominicæ destinata, ipse quoque ad subeundam passionem suam Capranicam versus ex vrbe discessit: vbi cum per octo integros dies commodissimè valuisset: an quod in aerē paulo frigidiusculum, ex calidissimo ardentiq; cælo Romano venisset, an ex alia quapiam causa incertum; magis tamen atque magis ventris profluuio cœpit laborare, ita vt aliquādo quindecim & sexdecim vicibus vno die secedere cogeretur. Quæ res illi & cibi appetentiam ademit, & cursum somni impediuit, & omnes in vniuersum vires corporis vehementer exhausit & extenuauit. Sed inuictum illud animi robur & inflammatum erga res diuinas studiū, nulla corporis incommoda frangere potuerūt. Nam cùm illi per omne vitæ suæ tempus fuisset hoc in morę positum, vt in Ecclesijs ad honorē Dei, & Sanctorū eius consecratis, Missæ sacrificium vel offerret, vel offerentē sacerdotē aspiceret, à veteri suo instituto, ne in illa quidē tāta corporis debilitate, & languore, sibi putauit esse recedēdū. Quamobrē, & si vix pedibus posset consistere; ad Ecclesiam tamen sensim pedetentimque singulis diebus accedebat, in qua ad tremendum Missę sacrificiū, Christianā Rempub. se, suaque omnia, Diuinæ primùm bonitati, deindeSanctorū precibus, & intercessionibus, deuotissimè commendabat. Sed hanc illi facultatem morbi quoq; vehementia paulo post abstulit, ita vt non posset, nec etiam tutū esset,

esset, extra priuatos parietes pedem efferre: quę res, & si maximum illi sensum doloris adferebat, illud tamen lōgè grauissimū accidit, quod per aliquot dies ab audiendo Missæ sacrificio coactus est abstinere; tum quod nullus certus esset ad res diuinas in illa domo locus destinatus, tum quod Ecclesiasticorum Canonum au ctoritas, & ipsius quoque concilij Tridentini, in quo personam Legati Apostolici, magna cū dignitate sustinuit, sanctiones prohiberent; vt ne paterentur Episcopi in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Diuinum tantum cultum dedicata Oratoria, sanctū hoc sacrificium, à quibuscunque tandem peragi. Sed statim succurrit piissimo eius desiderio diuina misericordia. Cùm enim de inualetudine tam laudati Cardinalis Episcopus Nepesinus nuncium accepisset, vt virum Dei visitaret Capranicam accurrit, & celebrandi facultatem in priuato cubiculo, idipsum ab illo petente summa cum humilitate Cardinali, libentissimo animo concessit. Neque tamen adduci, vel medicorum consilijs, vel precibus nostris, passus est; vt languens & exhaustum, atque deficiens corpusculum in lectulo contineret; sed in aliud nihilominus offerendo sacrificio cubiculum destinatum, ita vt poterat secedebat, in quo genibus flexis, & manibus in cęlum eleuatis, vim lachrymarum profundens, Domini misericordiam, tota mentis animique con-

tentione implorabat. Accidit autem, vt a quodam ex suis moneretur, vt in sella potius sedēs, quam in genua prouolutus, & in pectus incumbens offerentem Sacerdotē aspiceret. Cui paulo & præter morem suum concitatius respondit. Ne me iam facias delicatulum. Sic par est, vt ego quem debeo cultum & reuerentiam Deo meo exhibeam. Sed neque hoc passus est, vt sacrificio durante flabello quisquā ventum excitaret, refrigerandi gratia. Cum ad cibum sumendum esset illi accedendum, non ad refectionem, sed tanquam ad pœnam se vocari dicebat, ac sæpè coram medicis de suo patre familias (stomachum autem intelligebat) questus est, quod perperam munere suo fungeretur, & alimenta quæ reliquorum membrorum sustentandorum gratia recipiebat, non in membra corporis diuideret, sed in secessum emitteret. Contendebant maiorem in modum medici, vt intra unius cubiculi parietes perpetuo se contineret, & cibum decumbens in lectulo sumeret. Sed ne id quidem efficere potuerunt. Conati quoque sumus & nos illi persuadere, vt in eodem lectulo, diuinum Missæ sacrificiū audiret. Sed is nobis cum quadam ignorantiæ & incogitantis consilij exprobratione minimè conuenire. respondit, vt ad cibum sumendum è lectulo surgeret, ad Deum laudandum, prostratus in lectulo iaceret. Et quoniam summa debilitas omnia corporis membra magis atq;

magis eneruabat, operæpretium iudicabant medici, vt subinde cibo reficeretur, quem vt bene mane sumeret, quoties à nobis rogabatur, suam ille vicissim infœlicitatem deplorabat, quod in sua, inque tam numerosa familia nemo inueniretur, qui ad recitandas preces, vel ad Missæ sacrificium audiendum adhortaretur, aut ad debitas Deo laudes tribuendas inuitaret; sed omnes, quasi conspiratione facta, cibum istum corporalem obtruderent; seq; vellent facere helluonem, & in eo summam recuperandæ valetudinis esse constitutam existimarent. Se verò spem suam omnem, non in medicorum artificio, nec in Galeni præceptis, nec phasianorum, & perdicum cadaueribus, sed in gratia Dei eiusque infinita misericordia reponere: cui si visum esset vitam longiorem concedere, potius id esset à spirituali cibo, qui in sacrosancto Missæ sacrificio proponebatur, quàm à quibusuis carnalibus epulis expectandum. Sic ergo aliquando contigit, dum Canonicas preces recitat, dum Missæ sacrificium audit, dum consuetas suas uestes in illo languore corporis induit, dum in secessum it, atque redit, ut ad meridiem vsque & vltra prãdium extraheretur. Cæterum. S. D. N. Gregorius Pontifex.xiii. cùm intellexisset, diuinum hunc virũ, quem in ipso adhuc Concilio Tridentino in summa semper veneratione habuit, & cùm esset Pontifex designatus, omnibus humanitatis

officijs semper prosequutus est, Maiorisque Pœnitentiarij munere exornauit, in tantam corporis imbecillitatem incidisse; misit è vestigio Georgium Ticinium Camerarium suum, qui suo nomine paternam illi benedictionem impartiretur; vtque suum illud acre & intentum studium cæteris occupationibus relictis, ad tuendam valetudinem conuerteret, quàm diligentissime exhortaretur: ante omnia vero, vt Romam primo quoque tẽpore rediret, in qua maiorem esset habiturus rerum necessariarum abundantiam; nec vllius medicinæ facultas, aut medicorum industria esset illi defutura: se quoque nullam occasionem esse prætermissurum, qua posset quocunque tandem officij atque pietatis genere afflictam hanc eius valetudinem subleuare. Hoc tam benigno Pontificis nuncio, atque ista plane paterna sollicitudine fuit non parum recreatus Cardinalis: sed cùm deiectas esse & prostratas prorsus omnes corporis sui vires intelligeret, nullam sibi facultatem relictam esse respondit, vt ex eo in quo manebat loco, pedem posset efferre: cum & ipsum anni tempus, quo minus ad vrbem accedere liceret, & sanos & infirmos vehementer deterrere con uenisse. Quod ad reliquas commoditates, & victus, & medicinarum opportunitates attinet, se in media plane vrbe versari. Nam Illustrissimus D. Cardinalis Farnesius (quem in omni sermone suo summa cum honoris præfatione,

tione, & patriæ & valetudinis suæ protectorē, appellare cōsueuerat) ex Caprarola sua, in qua ipse quoque menses æstiuos duceret, omnia ad victum, & ad valetudinem curandam necessaria, & abundantissime, & copiosissime animo planè libentissimo suppeditabat: immo & sui quoque medici operam & industriam, ad studium recuperandæ valetudinis conuertit. Erat enim & extra vrbem, & in ipsa quoque vrbe præstantissimorum ac doctissimorum quorūcunque virorum de tuenda conseruandaque tam salutaris Ecclesiæ Dei viri valetudine, maxima quædam sollicitudo; ita vt passim, non solum vota publica per vrbis Ecclesias, viri conseruandæ religionis Catholicæ studio inflammati facerent, sed etiam operas suas, & rem & fortunas libentissimo animo offerrent, dummodo posset hæc tam solida Ecclesiæ Dei columna ab imminenti casu, prolapsioneque liberari. Inter hos autem Regni Poloniæ, patrięque nostræ Viceprotector Illustrissimus Cardinalis Sabellus, vir prudentiæ, humanitatis, & grauitatis laudibus abundans, cùm à multis annis pietatem innocentissimi Cardinalis adamasset, illique omnibus in rebus gratificari semper contendisset, studiaque sua & officia vultu & verbis sæpe significasset, hoc præcipue, tam necessario tempore, admirabilem curam, & sollicitudinem omnibūs officijs præstandis re & veritate declarauit. Ac mo-

do non singulis horis, & momentis de afflicta Cardinalis valetudine laborauit, & quæcunq; tandem ad eam restituendam, necessaria præsidia, summa voluntate, pleno amicissimi desiderij animo suppeditauit: cui se hoc nomine plurimum debere, semel & iterum Cardinalis in auribus nostris testatus est. Interim ex Vrbe quoq; venit officij causa, Illustrissimus D. Vincentius Laureus Episcopus Montis regalis, pietatis & prudentię laudibus abundans, qui summa cum dignitate, & vtilitate Ecclesiæ Dei apud Henricum & Stephanum Poloniæ Reges, Nuncij Apostolici munus, per annos aliquot sustinuit, & non ita pridem est a laudatissimo Pontifice Gregorio in sacrum. S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus: quē cùm in cubiculum introduxissem, incredibile est, quanto cum gaudio vir Diuinus exceperit. Sublatis enim in cælum manibus; Aduenisti, inquit, desiderabilis: cuius ego præsentiam vix optare, nedum expectare, in hoc anni tempore potuissem. Is ergo cùm illum esset aliquandiu consolatus, & ad sustinendam morbi molestiā, in omni patientia admoneret. Cardinalis ex alto suspiria ducens, oculorum acie, in cælum cōuersa: Paratus sum, ait, & non sum turbatus. Fiat voluntas Domini: fiat voluntas domini. Cœpitque de suo patrefamilias cōqueri, quòd mala secum fide ageret, & alimenta quæ in sustentationem reliquorum membrorum distribuere

buere debebat, sinè vllo fructu, sed nō sine maximo cruciatu subinde foras emitteret; & multa alia cùm de sua valetudine, deque grauioribus negotijs, tum de sua quoque firma in Deū fiducia valde confidenter, & amanter, summa cum animi sui præsentia, & fortitudine, coram Episcopo prudentiæ, pietatisque nomine laudato, & veteri amicitia familiaritateq; sibi coniunctissimo, commemorabat. Accidit autem, vt pedem eius dexterum, grauissimùs quidam & acerbissimus dolor inuaderet: qualem in vita sua nunquam senserat: qui nullo momento temporis intermisso, quod vnum adhuc, illi remanebat, omnium laborum & sollicitudinum perfugium, somni quoque facultatem perturbabat, nec vllum prorsus ocij & quietis beneficium concedebat. Cui remouendo cū esset à medicis remedium excogitatum, nec vllam tamen adferret doloris leuationem, in summis illis angustijs, facta Pij V. Pontificis honorificentissima mentione, frequentius inclamabat. Auges Domine dolorem, auge & patientiam. Tū & illa Psalmistæ verba sæpius iterata proferrebat. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Iram tuam, Domine, & flagella quis sustinebit? Tum & illud Non secundum iniquitates nostras retribuas nobis, &cæt. Et cùm esset affecto pedi paulò feruentior adhibita medicina; Iamne me, inquit, vt S. Laurentium vstulatis? Nondum eius dies, fe-

stus aduenit, & vstionem sentio: & vtinam dignus inueniar, qui cum illo pro Christo ignes omnes & vstiones pari constantia perferam. Cùm autem vis doloris nequidquam remitteret, significauit medicis, vtrum forte expediret, afflictum & dolentem vel etiam vtrumque potius pedem abscindere, & reliquum vniuersum corpus seruare. Sperare se in Dei misericordia, quòd etiam claudus, ad Regni cælestis possessionem perueniret. Interim preces suas ad Dominum effundere non cessabat. Quamuis enim dolor cruris, somni facultatem omnem ademisset, sæpè tamen tanquam dormiturus ad parietem se conuertit, vt liberius nobis è cubiculo secedentibus, Domini imploraret misericordiam. Illud autem sæpissimè decantabat. O crux aue spes vnica. O crux aue spes vnica. Et intentis in cælum oculis, signo Sanctissimæ Trinitatis, pro veteri more suo, tribus coniunctis digitis, ad significandum S. Trinitatis mysterium, subinde se muniebat. Cū autem videret morbi vehementiam, omnes medicorum artes eludere, cum quadam animi hilaritate, medicinarum (quas semper coniecturas appellabat) imbecillitatem & inanitatem arguebat. Medicis autem culpam omnem, non medicinarum imbecillitati, sed humorum acerbitati tribuentibus, & meliorem valetudinem promittentibus dicebat. Vos me semper consolamini, omniaque meliora promittitis, & bene

ne facitis: hoc enim à vobis requirit officium vestrum. Sed video quòd operas vestras frustra consumitis. Sanate, si potestis morbum septuaginta sex annorum, & facile reliqua omnia incommoda, & affectiones corporis amouebitis. Non est quod deinceps tanto studio de valetudine mea laboretis. Iam enim tempus resolutionis meæ instat. Immo vero quantas maximas animus meus capere potest, Deo & saluatori meo Iesu Christo, ago & habeo gratias, quòd non vllis meis meritis, sed per summam & infinitam misericordiam suam, ad eũ ætatis annũ peruenire me voluerit, ad quẽ peruenit sanctissimus & doctissimus ille Doctor Ecclesię, quẽ ego prę cęteris omnibus, in vita mea colui, & imitari quãtũ potui conatus sum, D. Augustinus, qui & ipse in septuagesimo sexto anno ætatis suæ, sanctam suam animam Deo saluatori suo reddidit. Quis scit an hanc mihi præterea gratiam impetrabit, vt ego quoque animam meam non solum eodem, quo ille ætatis anno, sed etiam eodem, quo ille die, Iesu Christo Deo & saluatori meo restituam? Sed nihil aliud volo, quàm quod tu vis domine. Fiat voluntas tua; fiat voluntas tua. Paratus sum & nõ sum turbatus. Paratus sum & non sum turbatus. Spero, certè, quòd mihi sanctus ille Doctor, in occursum veniet, & animam discipuli sui Deo meo, cui semper seruire conatus sum in veritate, repræsentabit. Has ego plane diui-

nas voces, cum sæpius ingeminari audirem, manum eius sacram deosculatus, lachrymantibus oculis. Bono, inquam, animo esto, Illustrissime: melius per Dei gratiam habebis. Non solum diem Diui Augustini sacrum, sed multos præterea annos, ad vtilitatem Ecclesiæ, & nostram consolationem superuiues. Ille vero manum capiti meo imponens (lachrymis ista scribuntur Hosi vir innocentissime) Charissime frater, inquit, ego te semper amaui, charumque præcæteris habui: rogo te, noli mihi adulari. Ego sentio quòd me calor naturalis pedetentim deficit. Tange pedes meos idipsum iudicabis. Ego verò. Quidquid tandem futurum est, Illustrissime Domine, bono esto animo. Non minus tu rectè potes illis verbis te consolari, quibus seipsum olim consolatus est, ex hoc mundo in cælestem patriam migraturus Arsenius. Nam & tu septuaginta & amplius annis Deo seruiuisti. Non potest mala, tibi mors accidere, qui bonã vitã vixisti. Ad hæc verba mea subridẽs Cardinalis; O quàm, ait, labilẽ habes memoriã. Non Arsenius fuit tu verba recitas, sed Hilarion, cuius vitã descripsit D. Hieronymus. Et quoniã instabat festũ D. Marthæ, quæ saluatorẽ nostrũ Hospitio gratissimo excepisse legitur; & ego, inquit, cum Martha, Deũ meũ sub tectũ meum excipere, hoc ipso die decreui. Itaque die D. Marthæ sacro, cùm horas canonicas deuotissimè genibus flexis absoluisset,

 Missam

Missam attentissime audiuit, iunctis semper, & in cælum eleuatis manibus. Cumque tempus sumendæ Eucharistiæ aduenisset, remotis omnibus puluillis, in nudam humum antè altare se proiecit; confessionem dixit, lachrymis & singultibus interruptam, & tandem (quod mihi perpetuæ laudi, gloriæque duco) sacratissimũ Corpus, & Sanguinem Domini, ex pollutissimis, & peccatorum fœditate contaminatis manibus meis suscepit. Sic igitur lassus, & vix spiritum ducens, ad reficiendum corpusculum accessit. Sed cum illi vis morbi, & ardor tebriculæ, quam tum primum deprehenderant medici, omnem prorsus cibi appetentiam ademisset, vix quidquàm, idque inuitus, & renitens, degustare potuit. Quamobrem iussit me ad mensam suam accumbere, si forte, inquit, te comedente, mihi quoque solita redeat, cibi, potusque appetentia. Quoties autem à nobis, vt aliquid amplius sumeret, admonebatur, etiam hoc iam illud offerrebatur, respondit. Cùm olim pro continentiæ virtute Dominum deprecaretur Diuus Augustinus, dicebat ille: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sic & ego vobis omnibus possum respondere. Date vt possim facere, quod iubetis: & iubete, quod vultis. Intus existens prohibet extraneũ. Quod si foras artificio medicorum posset euocari, & somni beneficium, & appetentiam cibi nullo negotio recuperarẽ. Quoties autẽ intempesta

nocte,

nocte, aut continuatis vicibus, ad se medicum familiarem accersebat, summa cum animi sui humilitate factum suum excusabat. Parcite, inquiés, mihi rogo vos, quòd vobis hanc molestiam affero: necessitas id me vt faciam cogit: certe non libenter id facio. Pridie igitur eius diei, quo sanctam suam animam Deo creatori suo reddidit, an vellet domui suæ disponere, priuatim ex eo trementibus omnino labris, nõ sine maximo metu offensionis perquisiui. Sed is placidissimo præsentissimoque animo mihi respondit, quòd in ea cogitatione versaretur, vt domui suæ disponeret: & cætera quidem omnia, in animo suo disposuisse dicebat, sed in deligendis deputandisque Exequutoribus, nõ possum, ait, exitum consilii mei inuenire. Hoc opus, hic labor est. Scio quàm diuersum exitum habuerunt, multorum extremæ voluntates. Illo ergo ipso die Testamentum conscripsit? & tenuissimæ hæreditatis, quam in hoc mundo relinquebat, dispositionem absoluit, suoque signo obsignatam, in manus Petri Mariẹ Vulcanii, Notarij publici cõsignauit. Quoniam autem vrgebatur à me, vt quod cœperat, sine intermissione absolueret, cùm nullam illi mentis partem, aut iudicii facultatem vis morborũ ademisset, ilico me in maximo metu versari subolfecit, ne iam imminente nocte spiritum exhalaret. Quamobrem ne timeas, ait, ista ego nocte non moriar: sed cras per Dei gratiã

reliqua

reliqua expediemus. Assistebat illi continuo R. P. Oliuerius Societatis Iesu, quem in vita sua semper habuit charissimum, & spiritualibus admonitionibus, ad mortem constanter perferendam adhortabatur. Eum ille fixis semper oculis, maximaque animi præsentia intentissimè audiebat; & ad singula quę requirebantur, ab eo, respondebat. Is quoque vt tum de Exequutoribus testamenti, tum de loco sepulturæ suam sententiam diceret, lenissimè & prudentissimè admonebat. Sed Cardinalis memor Apostolici sermonis; Si nos iudicaremus, a Domino non iudicaremur: cùm suam conscientiam, in omnibus vitæ rationibus, summa cura & studio moderari consueuisset; in hac quoq; extrema vitæ fabula, maxima cum deuotione, animique præsentia, totius anteactæ vitæ suæ generalem Confessionem præmittendam esse existimauit, De cæteris autem rebus se deliberaturum respondit: quod etiam fecit: suamque postea sententiam imposita fide silentij, tum de exequutoribus designatis, tum de cæteris negocijs eidem P. Oliuerio aperuit, & ita se iã profunda nocte, ad quietem composuit. Sed vanus erat illius conatus. Auferebat enim vis doloris, & egestiones continuæ, somni facultatem. Quamobrem totam illam noctem assistentibus, & orantibus, & lugentibus nobis, in summa molestia egit. Et subinde ex alto suspiria ducens. Si iniquitates, ait, obseruaueris Domine,

mine, Domine quis sustinebit? Domine quis su stinebit? Nec vllo momento temporis animũ à futuræ vitæ contemplatione, atque à funden dis orationibus auertit. Sed horam septimam, quæ fuerat, ad celebrandum Missæ sacrificium assignata, sollicite, cupidissimeque expectabat. Quæ cùm imminineret, vt primum me ad lectulum assistentem aspexit; Vos, inquit, heri sic me cum egistis, tanquam hac nocte mori debuissem. Cæterùm negare nõ possum, quòd me valde sentio debilem, ita, vt vix mihi sola respirãdi facultas supersit. Quamobrem cupe rem os meum, modico vino, vel etiam aqua, abluere, vt me paululum refocillem, & siccitatem oris, quam sentio, detergam. Sed quia San ctissimũ Christi Saluatoris mei, corpus & sanguinem hora septima suscipere decreui, religio mihi est aliquid in os imittere, ne videar ieiunij obseruationem, quam sacri canones præcipiunt, intemperantia quadam victus violasse. Cuperem itaque, ait, (erat enim tenerrimę con scientiæ, & abstinentię admirabilis, nec vnquã se quidquam scire præter Christum, & hunc crucifixum gloriabatur, & si quid sciebat, idipsum scire se non putabat: sed illud in corde perpetuo conseruabat, Beatus homo qui semper est pauidus, qui vero mentis est duræ, corruet in malum) ex P. Oliuerio cognoscere, vtrũ antè sumptionem Sacratissimi cibi, liceat mihi saltem oris siccitatem, quam sentio abluere.

Ego

Ego vero P. Oliuerium, hora noctis fere quinta conueni: qui ſententiam in ea re mihi ſuam aperuit. Cum autem ablutionem illã Cardinali porrexiſſem, tanta cautione in os immiſit, vt ne vel guttam quidem vnicam, paſſus ſit paulo profundius deſcendere. Quod vbi factum eſt, cœpit cum D. Thoma Tretero, matutinas horas de B. Maria Virgine ad Niues, cum maxima vocis, laterumque contentione, cumque lachrymis & ſuſpirijs, deuotiſſime recitare. Vbi verò ad præclarum illum, & diuinum D. Ambroſij & Auguſtini hymnum ventum eſt, ne quidquam renitentibus noſtris, languentia & effœta membra in terram voluit proſternere, & genibus flexis, totam illam gratiarũ actionẽ deuotiſſime recitare. Accerſiuit poſtea medicũ, & excuſatione maximæ neceſſitatis identidem præmiſſa, de noctis incommoditatibus, deque vitio ventris, & gutturis queſtus eſt, quod ſomnum in oculis ſuis non viderit, atque acerbiſſimos cruris dolores egeſtionumq; moleſtias pertulerit. Quibus, inquit, malis poſteaquam nullum, poteſt remedium inueniri, ego ad alium medicum longè Galeno veſtro præſtantiorem properabo: qui medicinas habet iſtis veſtris ſuauiores, dulciores, amantiores: quas qui ſemel deguſtauerit, nulla vnquam incommoda, nullam deinceps mortem, in ſempiternum tempus ſentiet. Sed mirum eſt, quantum ſunt in hoc paruo tempore, omnia in me

immutata, quàm factus sum ad omnia inutilis. Nihil aliud facio, quàm ingero & egero. Iã & scribendi & legendi, & de Repub. cogitandi facultatem omnem amisi. Sit pro omnibus nomen Domini benedictum in sæcula. Nunc meum bene valere, est non pessime valere.

CAPVT XX.

HOra tandem septima P. Oliuerius, ad celebrandum missæ sacrificium accessit, quem vbi Cardinalis aspexit, ex lectulo suo surgere, & pro sua perpetua consuetudine, ante ipsum altare, in medio cubiculo genuflectere voluit. Nos vero ne faceret, neue se in hoc suo summo languore, in apertum discrimen obijceret, magnopere rogabamus: & omni diligentia cauebamus, ne quod tentare videbatur, etiam inuitis, & reluctantibus nobis in terram se ex lectulo proijceret. Quæ res illi valdè grauem, & acerbum sensum doloris adferebat. Quamobrem semel & iterum manibus me suis à lectulo, cui asiistebam remouebat, dicens lingua nostra materna, Odstep, Po kuso. Discede a me tentator: meque quem debeo cultum & reuerentiam Deo & Saluatori meo exhibere permitte. Ego vero me à lectulo paululum seiunxi. Cæterũ ille remoto præsidio, nulla ratione potuit languens, & effætum corpusculũ a culcitra subleuare. Cœpit tamen

pedes

pedes suos in terram pedetentim demittere, quos cum alius quidam familiaris eius Pisaro uius, in lectulum reponeret, zelo maximo Diuini honoris inflammatus, manibus eum a lectulo conatus est remouere. Dimitte me, inquiens, dimitte me, vt supplicis in morem, debitum Deo meo honorem, in terra prostratus exhibeam. At cùm aduenisset tempus Eucharistiæ sumendæ, nullis precibus, nulloque nostro conatu retineri potuit, in illo suo summo languore, quominus è lectulo in terram sé demitteret, & quantum poterat demissè humiliterque Dominum venientem in domum suam reciperet. Absoluta tandem peccatorum suorum confessione, pectus suum sine intermissione verberans, & cum Centurione lacrymis fletibusque perfusam, ac interruptam orationẽ fundens, Domine non sum dignus, &c. signoq; se Crucis muniens, panem illum Angelorum sacratissimum accepit, & in lectulum se tandem reponi passus est; quod reliquum erat Missæ, summa cum attentione audiens. Absoluto Missæ sacrificio, parum aliquid cibi, refectionis gratia accepit. Deinde Sacramentum sacræ extremæ vnctionis impartiri sibi petiuit: quod extremum officium permittente Curato, vt ego manibus meis licet indignus, tanto illi viro, impartirer, ad perpetuum meum erga ipsum cultum, & obseruantiam proprie pertinere putaui. Ipse vero inuicto quodam animi robore, sacrum

[19.

crum

crum illud oleum aspiciens, & ad eas quæ reci-tabantur ex Sacerdotali Romano orationes ac curatissimè respondens, apertumque pectus ostendens, quale semper in omni vita sua gere bat, seque quantum poterat, in omnes partes reuoluens, & membra ad suscipiendam sacram illam armaturam offerens, summa cum attentione, maximaque cæremonia, Sacramentum illud extremæ vnctionis, deuotissime suscepit. Deinde cum paululum à labore respirasset, oculos ad vniuersam familiam conuertit: quam cum in terra prostratam, orationesque funden tem, & plangore maximo, lamentationeque (non teneo lachrymas Hosi tanto fratre dignissime) cubiculum complentem aspexisset, cum omni humilitate ab omnibus in vniuersum condonari sibi petiuit, si quenquam vnquam in aliqua reoffendisset: seque vicissim om nium erroribus veniã ex animo impertiri professus est, à quocumque tandem lęsus aliquando esset. Ad extremum etiam sacra sua manu, altius, vt poterat, eleuata, ternis vicibus eiulan ti familiæ benedixit, dicens; Dominus vos benedicat: Dominus vos custodiat: Dominus vos ab omni malo conseruet. Amen. Ite in pace. Qui tum fuerit ejulatus omnium, quę profusio lachrymarum, qui singultus & gemitus, si adhuc in oculis meis lachrymæ, quas plurimas in illius temporis commemoratione, & in his meis acerbitatibus effundo, aruisent; coram

oculis

oculis tuis quantum calamo, & atramēto possem repræsentare contenderem. Nemo non gemuit, nemo non arsit dolore, in illius viri occasu quem immortalem si fieri potuisset, omnes esse cupiebant. Sed vidit omnium lachrymas cordium inspector Deus: & Angeli eius cadentes in tanti viri morte guttas numerarunt. Planè fecerunt omnes planctum magnum super ipsum, sicut olim super Stephanum viri timorati fecisse leguntur. Accepta benedictione, sacram eius manum, omnes ex ordine sumus deosculati. His omnibus ad eum modum peractis, ad orationem se conuertit, & Primam, Tertiam, Sextam, vt vocant, cum Thoma Tretero, deuotissime, attentissimeque recitauit; subinde Virginis gloriosæ, & intemeratæ Dei genitricis Mariæ, intercessionem implorans, vt sibi viā ad perpetuas Niues, & sempiterni temporis refrigerium, orationibus suis patefaceret. Cùm autem ad Nonam ventum esset, sufficit, inquit, iam non dicemus Nonam, nisi fortasse cum Angelis in cælo. Postea me accersito, de quibusdam adhuc rebus, animo præsentissimo mādata dedit, & iter alia, vt opera Diui Augustini, cuius in omni vita sua semper fuit studiosissimus, Thomæ Tretero familiari dilecto cederent, ordinauit, ea vero quæ Thomas habebat, Zolcinio assignauit. Quoniam autem Episcopus Nepesinus triduanas per omnem diœcesim suā supplicationes, pro salute salutaris Ec-

clesiæ Dei viri indixerat, accidit vt hoc ipso tẽporis momento penes palatium transirent ad Ecclesiam Beatæ Virginis, puellæ quædam virgines, non paucæ, cantantes Litanias, & valetudinem Cardinalis castissimis labijs Domino commendantes. Quarum vocem cùm audiuisset, quæsiuit quænam essent ista Cantica. Ego verò dixi, quòd Episcopus publicas supplicationes instituisset, & quòd voces quas audiret, erant voces castissimarum ac Deo amabilium virginũ, pro salute & incolumitate sua Deo, & gloriosissimæ Virgini Mariæ supplicantium. Ille verò vehementer exhilaratus, eleuatis in cælũ manibus; magnas, ait, ago gratias Episcopo, & istis virginibus, & omnibus, qui pro me miserrimo peccatore sollicitudinem istã capiũt. Scio quòd magnum pondus habere apud Dominum castissimarum virginum, & innocentium puerorum orationes consueuerunt. Sed nihil aliud ego volo, quàm quod tu vis Domine. Fiat voluntas tua. Ne momẽto quidem tẽporis viuere cupio, vltra quod constituit mihi Dominus. Paratum cor meum. Paratum cor meum. Iussit deinde Dominicæ passionis historiam legi: in qua cum ventum esset ad eum locum, vbi Petrus Apostolus Christum negasse perhibetur. & P. Oliuerius Domini erga ipsum misericordiam, & ignoscendi facilitatem, cum & hoc quoque pluribus verbis commemorasset, quòd Cardinalis nunquam per Dei

gra-

gratiam Christum negasset, nec vnquam de nomine eius erubuisset, sed apertè potius coram hominibus, & coram omni Ecclesia malignantium, & vbicunque id officij ratio, & incredibile animas Christo lucrifaciendi desiderium requirebat, confessus: hæreticos præterea, quòd Christum negassent, in omnibus dictis & scriptis suis constanter & intrepide persequutus esset. Eleuatis in cælum vir diuinus manibus, alta voce lachrymantibus oculis dixit; Christe fili Dei viui, tu scis quod ego te, nomenque tuũ non negaui. Tuum enim hoc esse beneficium lubens agnosco, agoque tibi hoc nomine summas gratias. Absit à me, absit ab animo meo, vt te negare vnquam voluerim. Quoties autẽ fiebat nominis Iesu commemoratio, toties languentem atque deficientem dexteram, ad caput attolens, pileolum de nitentibus comis, in honorem huius sacratissimi nominis deponebat. Cùm alapæ mentio facta est, os ipse quoque suum, eleuata manu verberauit. Vbi vero flagella, & spinea corona commemoratur, & P. Oliuerius acerbitatem illius doloris, quem Saluator noster pertulit, ob oculos poneret, atque ad fortiter ferendam mortem & quidquid tandem Dominus permisisset adhortaretur, Cardinalis respondit. Fortiter & constanter, fortiter & constanter. Cùm autem ad illa verba ventum esset, vbi Dominus emisisse spiritũ legitur, ad parietem capite paululum

conuerso, alta voce, ita vt ab omnibus exaudiretur, Dominicam orationē, & Angelicam salutationem, articulatim, distinctéque recitauit. O crux aue spes vnica. O crux aue spes vnica. Tum & illud; Per passionem tuam Christe salua nos. Tum & illud; Iesu Christe fili Dei viui, miserere mei. Tum & illud, quod in omni vita sua, in ore, atque in animo suo perpetuo habuit; Mane nobiscum Domine, mane nobiscum Domine. Crucifixi præterea imaginem sic amplexabatur, sic in manibus habebat, sic clauorum vestigia osculabatur, vt plane ostenderet, quàm ardentibus erga Deum fuerit in omni vita sua charitatis ignibus inflammatus. Iussit postea ad se nepotes suos, quos charissimos habebat accersiri, quibus ad lectulum prostratis, & lachrymas profundentibus, sacra sua manu in caput Domini Stanislai Hosij de Bezden filij tui charissimi imposita, sanctam suam benedictionem omnibus impertiuit. Tandem autem orationibus, quæ legebantur à P. Oliuerio intentus, & signo sanctissimæ Crucis pectus suum frequenter muniens, atque ad pleraque etiam respondens, cum aliquoties illa saluatoris verba deuotissime iterasset. In manus tuas commendo spiritum meum, Iesu quoque salutare nomen inuocasset, percontantique patri Oliuerio, num quæ legebantur omnia intelligeret, bis ac ter respondit, Intelligo, intelligo, intelligo: postquam prorsus omnia,

quæ pro animæ commendatione præcepit Ecclesia lecta, perfectaque fuissent, illo ipso Beatæ Virginis Mariæ festo, quod in Nonas Augusti incidit, hora nona, qua spiritum suum Dominus in cruce emisisse legitur, plenus dierum, & gratiæ Dei, plenus omni sapientia & intellectu, in senectute bona, quietissimè & placidissimè obdormiuit in Domino. Quæ sequuta sunt, concursum videlicet plorantium, ac quasi quandam tempestatem publicarum querelarum, exequias, conciones, laudationes, oscula quæ sanctis illis manibus dabantur, contactus vt vocant rosariorum, & incolarum (ò fœlices Capranicas) de ferendo corpore contentiones, non calamo & attramento, sed lachrymis tibi scriberem si legere posses. Hoc vnum addo, quòd in huius tam sancti, & in omne tempus laudati Cardinalis transitu, reipsa cognoui, pretiosam esse mortem Sanctorum in conspectu Domini. Tum & illud verissimum esse deprehendi, quod à quodam S. Patre dictum est, Nō potest malè mori, qui bene vixerit. Planè enim fuit vitæ exitus, anteactis vitæ studijs cōsentaneus. Sed plura non possum in hoc meo incredibili, & vix vnquam consolabili dolore. Nam & oculos meos ista commemoratio fletu debilitauit, & manum dolore impediuit, iustius vt ego possem, quam ille Tragicus, exclamare.

O Lux semper funesta mihi

Tempore ab illo lux est tenebris
Inuisa magis. *Et alius quidam.*
Diuidor haud aliter quam si mea membra relinquam
Et pars abrumpi corpore meo visa est.

Ac vtinam, vtinam, inquam, vita mea, vitam illius redimere potuissem, sicut olim Dauid vitam subditorum, filij sui vita, Deo optionem proponente, redemit. Nec Respub. Christiana tanto præsidio, tam necessario tempore caruisset, nec ego vitam hanc viuerem, omni morte diriorem. Mihi enim sine Hosio viuere, est sine sole, & sine vita viuere. Hæc me spes sola solatur, quam etiam optimi quique, & intelligentissimi uiri, in hac Vrbe conceperunt, quod Hosius in beatorum sedes translatus, uitæ coronam accepit: cum ob immensam, & infinitã Dei misericordiam, in qua semper, omne salutis suæ firmamentum collocare consueuerat, tum ob vitam in timore Domini, & in custodia mandatorum eius, ab ipsis vsque incunabulis, ad vltimum vitæ diem, fideliter, ac religiose actam, laboresque pro Ecclesia Christi magno cum fructu, vtilitateque susceptos: tũ vero etiam quòd si quam illius splendori labeculam humanæ conditionis infirmitas aspersit, sicut ante dies aliquot apud Illustrissimum Dominum Cardinalem Pelueum Archiepiscopum Senonensem, in Signatura, vt vocant, Offic[ij].S. Pænitentiariæ (cuius ille curam Vrbanos

nos

nos calores fugiente Hosio sustinere quotānis consueuerat, quemque sibi Hosius dari successorem cupiebat) viri virtutis & sapientiæ laudibus celeberrimi, Martinus ab Aspilcueta Doctor Nauarrus, & Franciscus Toletus Societatis Iesu & S. Officij Theologus, pręsente me retulerunt: ac idem ante multa sæcula, plerisque alijs sanctissimis & laudatissimis viris, ex Ecclesiasticis annalibus accidisse memorarunt: quem in vniuerso vitæ cursu totis septuaginta sex annis, nunquam in corpore suo, senserat, acerbissimus ille ac prope intolerabilis cruris dolor abstersit atque expiauit: vt ne quæ, sicut ait Paulus, ligna, fœnum, stipulæ remanerent, quæ possent ingressum illius in ęterna tabernacula, in trāsitu flammei versatilisque gladij remorari. Sepultus est nona Augusti, ita, vt volebat in Ecclesia sua titulari S. Mariæ in Transtiberim, in quo olim loco fons olei effluxisse in Natiuitate Saluatoris nostri memoratur, ad dexterā partem altaris maioris, sub imagine Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, Mosaico opere olim facta, adhibitis consuetis Ecclesiæ Catholicæ cæremonijs; præsentibus & communē Reipub. Christianæ calamitatē deplorātibus, optimis quibuscunque & doctissimis viris, qui tantū huncCardinalē immortalē si fieri potuisset, omnes esse cupiebāt. Funebrē orationem, & Hosij pietate & sua in eum obseruantia dignissimam, habuit eiusdem Eccle-

siæ Canonicus Thomas noster Treterus. Vulgus hominum nil aliud habet magis in ore, quacumque nos vertimus, quam; Mortuus est magnus vir, sanctus vir, doctus vir, verus doctor Ecclesiæ, vera columna. Pauperes autem cum vno Hosio, omnia se amisisse arbitrantur Deus & pater Domini nosti Iesu Christi, qui potest ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, ipse suscitare in Ecclesia sua dignetur Hosio similes quamplurimos, Catholicæ veritatis acerrimos propugnatotes: quorum opera perfectum videamus, vt ne sit amplius in orbe Christiano Iudas, & Israel, Roboam & Hieroboam, Hierusalem, & Samaria: sed sit vniuersa terra vnius labij, & sermonum eorundem. Sit multitudinis credentium, cor vnum & omnia vna. Sit vnum ouile, & vnus pastor. Amen.



Oratio

ORATIO. THOMAE TRETERI.

Habita, in exequijs eiusdem D. Cardinalis Hosij, in Basilica S. Mariæ Transtyberim, Die xiiij. Aug. M. D. LXXIX.



Vis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo: nõ, vt Hieremias ait, vulneratos populi mei, nec vt Iesus miseriam Hierusalem: sed plorabo sanctitatem, misericordiam, innocentiam, castitatem: plorabo omnes pariter in vnius morte defecisse virtutes? Ecce enim vir innocens, cum quo de vtero matris suæ egressa est pietas, & à diebus infantiæ suæ creuit miseratio: qui nunquã in vanitate, sed coram Domino ambulauit in veritate & in corde perfecto, oculis omnium vestrum, Auditores, expositus, viam vniuersæ carnis ingressus est. Neque tamen lugendus est nobis ille, qui cęlestem illam in domum migrauit, sed nobis impatientius est dolendum, qui talem videre desijmus. Cuius quidem doloris, vt tanto iustiorem vos habere caussam intelligatis, quantò grauius damnum est quod nicurrimus, faciendum mihi putaui, vt quasi quantoque

toq; viro Ecclesia Dei sit orbata breuibus ostẽ derẽ; & quantũ ad animarũ spiritualẽ profectũ pijs omnibus eius ad cœlestẽ gloriam transitus consolationis adferre possit, oratione cõmemo rarẽ, quod dum facio, vt mihi benignas aures prębeatis oro. Posse autẽ hic & generis & piissi morum eius parentũ mentionẽ facere, vnde nõ obscure disceretis, quod verè de vtero matris egressa est secũ pietas; sed ad ea quæ sunt eius propria, huicque loco muneri, & dignitati, in qua spiritum suũ Dño reddidit, ac vestrę expectationi magis consentanea, cursum orationis meæ cõuertere malo. Ac primã quidẽ illã ętatẽ suã innocẽtissime semper egit, quandoquidẽ in eo domũ sibi constituerat castitas, & continẽtia radices fixerat in profundis. Et virum & iuuenem se esse nisi per patientiam laboris ignorabat. Vtebatur lectione pro requie, & ludos omnes, & otiũ cane peius & angue fugiens, orationibus & studijs intendebat. Cęterum cùm ex Italia, vbi partim Patauij, partim Bononiæ, litteris diligentem operamdederat, in Poloniã redijsset, sicut olim in Samsonem, ita quoque in illum irruit spiritus Domini, vt dilaceraret leonem rugientem Diabolum, qui per nefandas Hæreses, vineam Domini in patria sua vastare cœperat. Quamobrem totam animi contentionem ad oppugnandos & persequendos Hæreticos conuertit: & cùm esset singularẽ innocentiæ, pietatisque laudẽ apud omnes in pa-

tria

tria sua consequutus, vitæ suæ exemplo cœpit vniuersos viã veritatis docere. Postea verò ad munus Episcopale à Paulo Tertio Pontifice Maximo vocatus, totum se, tanquam potestatem habens, huic vni cogitationi immersit, vt ab ouili suo rabiem hæreticam arceret, & reliquis etiam Regni vulneribus mederetur. Partim igitur consilijs, partim admonitionibus, partim scribendis concionibus, quæ per Prædicatores vbique populis annunciarẽtur, partim libris Catholicis subministrandis, partim & alendis educandis in fide Catholica Hæreticorum liberis, veluti communis patriæ Pater, pro omnium salute cõuersioneque tota animi cõtentione laborauit. Quę res adeo illi successit, vt si Hæreticos spectes, nullus eorum repertus sit, qui Hosium Episcopũ, errorũ suorũ inimicum non senserit; si Catholicos consideres, nulla sit Orbis Christiani pars, ad quam laborũ & Scriptorũ illius fama nõ peruenerit, adeo vt propter gratiã, elegantiam, & quod maius est, spiritum intus loquentẽ, ex Latina in Gallicã, Germanicam, Polonã, Anglicam, Scoticã, & quemadmodũ à magni nominis viro quodã nuper acccepimus, in Armenam etiã linguã diuinæ lucubrationes eius traductę fuerint. Talis igitur tantiq; viri fama cõmotus Paulus Quartus Pont. ne lucerna hæc veluti sub modio abscondita diutius lateret, super candelabrũ eam constituendã, ac æternis suis litteris Hosiu Episco-

ſcopum, è diœceſi ſua ad Vrbem hanc totius Orbis theatrum euocandum curauit: de modo rationeque reſtaurandę religionis conſilia cum illo cõmunicauit, in magnoque, quoad vixit, ſemper honore habuit. A ſucceſſore tandem Pauli, Pio Quarto ad Imperatorem Ferdinandum Nuntius deſignatus, ita ſe illo in munere geſſit, vt præclaris eius virtutibus incitatus Põtifex, facere non potuerit, quin eum abſentem & diu multumque reluctantem primo Cardinalem poſtea etiam Legatum ad Sacrum Oecumenicum Tridentinum Concilium crearet; in quo præter ſingularem, prudentię, eruditionis, ac pietatis laudem, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitatem ita ſuſtinuit, vt Sancti illi Patres ex diuerſis totius Orbis nationibus, auctore Spiritu ſancto congregati, planè diuinas tanti viri dotes, & incredibilem propagandi cultus Diuini zelum, admirari ſatis non potuerint. Foris apud eum non manſit peregrinus, Oſtium eius viatori patuit, ardor Charitatis omnibus. Abſoluto demum Concilio in Patriam reuerſus, quò in celſiori honoris & dignitatis gradu ſe conſtitutum videbat, hoc maiore ſtudio ad Diuini honoris rationes in ea propagandas ferebatur. Quamobrem quantum apud Sigiſmundum Auguſtum Regem gratia, quantum apud Senatores reliquoſque Regni ordines auctoritate valuit, tãtum contendebat & elaborabat, vt quæ in Sacroſancto illo Cõcilio ſancte pie-

que

quę cōstituta fuerant, ea in patria sua exequutioni mandarentur, leuem sumptuum & laborum, in prouecta iam ætate rationem ducens, dummodo pietas & religio perditorum hominum temeritate atque audacia profligata, rursum introduceretur. Primus ille fuit in vniuerso Poloniæ Regno, qui Patribus Societatis Iesu in partes illas euocatis, morum disciplinam collapsam in clero restituere, ac vt iuuentus in litteris & Dei timore diligenter institueretur, perficere conatus est: cuius consilij sui eum fructum vidit, vt & alij itidem antistites, exemplo ipsius incitati collegia eiusdem Societatis erigerent, ex quibus ad Ecclesiæ Dei rationes, in regionibus Hæretica labe infectis promouendas, plurimum emolumenti redundat. In Senatu Regio quoties suo loco sententiam diceret, ad eum finem omnia retorquebat, vt Satanæ Synagogis euersis, Christianam religionem auctam & propagatam in patria sua videre posset. Inde tot admonitiones, tot consilia, à Spiritusancto profecta, tot vias ad animarum perditarum salutem recuperandam adinuentas Regi Senatoribusque non magis viua voce, quàm per Diuinas plane epistolas suas suppeditare nunquam destitit: vt vel ex hoc vno quilibet facile intelligere posset, nihil eum vnquam prætermittere solitum, quod & ad pastoris vigilantissimi & ad Senatoris prudentissimi, patrisque patriæ amantissimi munus pertineret.

tineret. Animum ad durissima queq; pro Christiana religione toleranda ita semper præsentem & planè inuictum adserebat, vt nec potentiorum Hæreticorum minas vnquam extimesceret, nec à dicendi libertate sibi temperandum esse existimaret, etiamsi gratia Principum excidendum esset, si quando Christi & religionis caussa ageretur. Hinc sæpius dicere solebat, se votis ardentibus id semper à Deo exposcere, quoties Beati Andreæ, qui patronus Varmiensis Ecclesiæ est, in Horis Canonis Commemorationem faceret, eam, vt illi constantiam animique fortitudinem largiretur, quo pro Sacrosancta fide extrema queque pati, quin & Crucem ipsam perferre, si id Ecclesiæ proficuũ esset, illi concederet. Decimus iam annus agitur, ex quo ad hanc almam vrbẽ grauissimis quibusdã de caussis aduenerat. In qua qualem pietatis, prudentiæ, sanctæ conuersationis, & vitæ innocenter actæ odorem sparserit, norunt omnes: præcæteris autẽ Sanctissimus Dominus Noster Gregorius xiii. Põtifex Maximus: qui prudentissimus meritorum cuiusque ęstimator cùm ad eũ virum Maioris Pœnitẽtiarij munus detulisset, id se eo consilio facere affirmauit, vt de peccatis alienis iudicãdi ei potissimum potestatẽ tribueret, qui propriorũ peccatorũ minimum haberet. O Magnũ Maximi Pontificis de Magno Cardinali testimoniũ: quod ętas futura admirabitur; Ecclesia vni-
uersa

uersa semper cõprobabit. Sed non huius loci neq. tẽporis esset omnia recensere, quæ de præclaris eius virtutibus rectè dici possent: Quãobrẽ ad hoc iã nostra cõuertitur oratio, quod omnium actionum illius veluti summam quãdam complectitur. Nam cum verè dictum sit; Non posse eum malè mori qui rectè vixerit, sanctissimam Hosij Cardinalis conuersationẽ, nihil magis comprobare posse videtur, quàm mors sancta, vt quæ ad veram illam, & nullis vnquã temporũ seculis circumscriptã vitã, aditũ illi patefecerit. Nã ex eo tempore quo humanæ conditionis infirmitatẽ ratione comprehendere cœpit, cũ artẽ rectè moriendi discere nunquã intermisisset, id cõsequutus est, vt quò magis per decliue senectutis iter, ad mortalis istius vitæ terminũ appropinquabat, hoc feruentius bonis operibus sanctisq; virtutũ exercitijs insistere nõ cessaret: adeò vt corpusculo, vigilijs, orationibus, ieiunijs & magnis pro ecclesia Dei susceptis laboribus exhausto, feruor spiritus nõ modò in dies sed in horas ac momẽta penè singula magis atq; magis in eo cresceret. Nullã diẽ intermittere solebat, qua mẽte ad Deũ eleuata, paratũ se esse nõ diceret hac vita mortali excedere, quãdo Diuinæ Maiestati illius placitũ esset; vt voluntatẽ hanc suã sacrificij cuiusdã loco quotidie Deo offerens, voluntarij quodãmodo Martyrij coronam sibi contexere videretur. Creuerat iã in tantũ imbecillitas corporis,

ætate diuturnoque languore conquaſſata, vt cubiculo tuto exire non poſſet. Quamobrem die quæ feſtum Diuæ Marthæ Chriſti hoſpitæ. præcedebat, cùm ſe peccatorem & indignum pronũciaſſet, velle tamen, quod olim Martha, ſe etiam cras facere dixit, vt Chriſtum creatorem & redemptorem ſuum hoſpitio exciperet. Poſtridie itaque factâ Sacerdoti Confeſſione, poſtquam ſacrificio Miſſæ, corpore debilis ingenua tamen prouolutus, attẽtiſſime interfuiſſet, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum maxima humilitate, gemitu, ac lacrymarum effuſione deuotiſſime ſuſcepit. Diebus quatuor ſequentibus Miſſam itidem & Officium Horarum Canonicarum recitatum, magna cum attentione audiuit. Tandem Pridie feſti S. Mariæ ad Niues, cum iam tempus reſolutionis ſuæ inſtare intelligeret, & totũ ſe Diuinæ voluntati ſubmiſiſſet, denuo iterum Confeſſionis ſacramento ſe expiauit, ad diem ſequẽtem tam Sacroſanctam Communionẽ, quàm Extremam vnctionem differendo, indicãs quibuſdam è ſuis, quod extimeſcere videbantur, ſe nocte illa non moriturum. Poſtridie, expleto. Horarum Canonicarum officio, quo tempore manus in cælum frequentiſſimè extendebat, Miſſam audiuit, Viatico Sacroſanctæ cõmunionis maxima cum reuerentia, & humilitate ſe communiens, familiæ vniuerſæ iam de hoc mundo cæleſtem illam in domum migraturus

turus plane paterno affectu benedixit. Sacramentum Extremę vnctionis, ad luctam contra Spiritus malignos se præparās, suscepit, gratias Diuinæ Maiestati agens quod ad Septuagesimum sextum ætatis suæ annum attingere illū voluerit, quo Sanctus Ecclesiæ Doctor Augustinus, quem præcæteris maximè admirabatur & colebat, ex hoc sæculo quondam migrauerat. Longū esset enumerare suspiria, lachrymas, gemitus, orationes quas ad Deū ardenti corde iugiter emittebat. Singulari veneratione quadam, viuificæ Crucis trophæum, quod sibi offerri voluit, prosequebatur, Spiritum suum Domino commendando, deuotissime loca vulnerum Domini Iesu exosculando, & illud quod Ecclesia concinit, O crux aue spes vnica, sæpius ingeminando. Lectionem Passionis Dominicæ secundum Ioannem, cum sibi legi præcepisset, quoties Sacrosanctum nomen saluatoris nostri Iesu nominari audiuisset, toties pileolo è capite deposito, aut cùm iam præ debilitate non posset saltem leuiter tacto, creatori suo honorem debitum exhibere conatus est: & tandē hora nona, qua Dominus in Cruce pro salute generis humani spiritum emisit, vir sanctus itidem cùm se aliquoties Crucis signo communiuisset, animam Christo redemptori, omnibus suis inspectantibus & ad lectulū genu prostratis, placidissime fœlicissimeque tradidit. Sic die Beatissimæ Virginis, quam singulari deuotio-

ne ſemper proſequebatur, Transfigurationis Domini feſtum præcedente, ipſe quoque transfiguratus, de morte ad vitam, de valle lachrymarum ad montem totius lætitiæ & fœlicitatis tranſiuit, corporeiſque vinculis exutus, claritatem vultus Dei intuetur, in qua veræ beatitudinis ſuauitas & æternæ delectationis dulcedo eſt repoſita. Habetis iam, Auditores, breuem tam Sancti Cardinalis Paſtoriſque Vigilantiſſimi, quem διαβεβηκότων, non immerito appellare poſſumus, vitæ ſummã, in quo cũ ſumma in Deum pietas, in proximos Charitas, in omnibus autem eius actionibus prudens ſimplicitas, & ſimplex prudentia eluceat, dubitandum non eſt, cum in beatorum Sedes receptũ Ieſu Chriſti conſpectu dulciſſimo perflui, quẽ ſemper amauit, in quem credidit, quem palam confeſſus eſt, quem ad extremum vſque halitũ ſemper in corde, ſemper in ore habuit; vt eum non tam orationibus noſtris quàm nos potius precibus illius apud Deum adiuuari poſſe, veriſimiliter credendum ſit. Effugit enim iam iuſtus hic de anguſtia ſeculi huius in maligno poſiti, de fructu laborum ſuorum repletur bonis, & iuxta opera manuum ſuarum retribuitur ei. Seminanti iuſtitiam merces fidelis reddita eſt, & requies ęternitatis iam data eſt ei. Commendemus ergo nos, fratres, orationibus eius, & viciſſim commendemus ipſum orationibus noſtris, quarum præſidio ſi iam non indiget, ora-

tiones

tiones nostræ cum maximo fructu in sinum nostrum reuertentur. Antè omnia verò denuis operam, vt ijsdem vestigijs insistamus quibus ille, eo quò cupimus iam peruenit. Frustra namque Sanctorum labores, conatus, & merita commemoramus, si ea factis repræsentare non curamus. Inde potius augetur suppliciũ, vnde sperabamus meritum. Non enim absque caussa Diuina misericordia, in hac nocte mundi huius tam conspicuum lumen accenderat, sed, vt ad viam salutis possent venire qui cupiunt, & excusationem non possint inuenire qui negligunt. Felix igitur terra, quæ talem genuit; sed felicior quæ talem Domino reddidit. Sit sanctificata quæ dedit; sit benedicta, quæ sacrum thesaurum in se recepit. Magis nunc in cordibus hominum loquetur vita absentis, quam vox præsentis, magis exempla perficient, quam verba. Oremus, vt ille orauit: ieiunemus, vt ille ieiunauit: facultates nostras distribuamus in pauperes, vt ille distribuit: castigemus corpus nostrum, vt ille castigauit; perseueremus in bonis operibus, vt ille perseuerauit. Certum est quod eiusdem glorię possessionem adibimus, quam ille adijt. Quod nobis cõtingat gratia & misericordia D. N. Iesu Christi, qui cum Deo Patre & Spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

STEPHANO PRIMO POLONIÆ REGI POTENTISS.

Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. Transyluaniæ Principi, D.D. clementissimo.

STANISLAVS RESCIVS *Presbyter, Seruitutem & orationes suas commendat.*





ETsi multa & illustria diuinæ bonitatis & misericordiæ in patriam nostram extent argumenta, quæ in omni rerum & temporum varietate ab ipsis adhuc orientis Regni Poloniæ temporibus eluxerunt: nullum tamen hoc vno maius, nullum ad muniendam viam salutis efficacius commemorari potest, quàm quòd ab eo tempore, quo Christi recepit Euangelium per sexcentos ferè continuos annos, nunquam se passa est in aliud quoduis Euangelium transferri:

ſed quam ſemel ab vna Sancta Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia fidem didicerat, eam ſemper & animo, & voluntate ſumma, magna cum pietatis & conſtantiæ laude conſeruauit: etiam, non defuerint in cæteris orbis Chriſtiani partibus hæretici, qui doctrinæ ſuæ fœditate maiorum quoque noſtrorum animos ſimplicis veritatis amicos inquinare, ac de ſtatu mentis, deque gradu conſtantiæ dimouere conabantur. Iconomachorum hæreſis, quæ ſanctorum imagines ex omni rerum natura cum puluiſculo, quod aiunt, tollendas ſuſceperat, cum ſeſe Imperatorum faſcibus & ſecuribus contra Eccleſiam Dei armauiſſet, non ſolum Aſiam, vnde videtur initiũ accepiſſe, verùm & alias nonnullas Orbis Chriſtiani prouincias inquinaſſe memoratur. Berengarij perfidia, qui præſentiã Chriſti corporis & ſanguinis in Euchariſtia negare auſus eſt, erroris ſui maculis Galliã aſperſit: Bogomilorum impietas, quæ S. Trinitatem & ſacræ ſcripturæ libros in ordinem cogere nitebatur, longè lateque peſtem ſuam euomuit. Petrobruſiani & Henriciani incredibili audacia vſi, omnia diuina humanaque iura ſurſum deorſum miſcuiſſe turbaſſeque referuntur. Albingenſes, Lollardi, Flagellantes, errores ſuos multorum animis afflauerunt. Viccleſiſtæ magnam Angliæ partem fœdiſſima doctrina contaminauerũt. Ad extremum etiam Valdenſes, Huſſitæ, Piccardi, Roccheſani vicinam nobis

Bohemiam, à via veritatis abstraxerunt, & in pestiferas sectas mirandum & miserandum in modum dissectas, distraxerunt. Factum est tamen singulari Dei misericordia, vt patria nostra, virginem se cassam exhiberet Christo: nec vllius hominis verbum pro Dei verbo reciperet: nec ab ea fidei regula discederet, quam initio ab Apostolicis viris, orthodoxis Episcopis, & doctoribus, Deoque amabilissimis martyribus Adalberto Gnesnensi & Stanislao Cracouiensi veris verbi Dei ministris & dispensatoribus acceperat. Imo verò quod omni laude & prędicatione dignissimum statuo: vt omnem in Regnum aditum omnibus pestibus maiores nostri, optimi illi & sapientissimi viri pręcluderent, publico omnium Regni ordinum consensu & approbatione sanciuerunt: vt si quis hæreticales errores (hæc enim ipsa sunt sanctissimæ legis verba) facere vel promouere vellet, contra talem siue tales cuiuscunq; status, gradus, præeminentię fuissent, & in eorum destructionem consurgere deberent, nec pro eis loqui vellēt aliquod verbũ, sed eos & eorum quemlibet talem punire vellent, & promitterent. Plus aliquid addam. Regnum Bohemiæ semel & iterum ad Reges Poloniæ delatum refutare maluerunt, quam in eos imperium obtinere, qui suaue Christi iugum per vicarium suũ Romanum Pontificem Ecclesiam suam gubernantis excusserunt. Existimabāt enim difficile esse,

eos

eos in potest ate continere, qui in sua potestate non essent, vel vt proprijs Regum nostrorum verbis vtamur, religionem sibi esse iudicabant apud hęreticos regnare. Quo factum etiam esse puto (solet enim Deus in vera conseruanda religione constantiam immortalibus beneficijs cumulatè compensare) vt Regnum quod à minimis initijs sumpserat exordium, amplissimarum Prouinciarum accessione locupletatum, in tantam hanc, quam videmus, amplitudinem & maiestatem excreuerit, vt à palude Mœotica siue Ponto Euxino, ad mare vsque Balticum pertingat, & vicissim à Borystene vsq; ad Oderæ littora extendatur: ijs præterea sit legibus descriptum, ijs moribus constitutum, vt non esse pertimescendum videatur, si modo officij sui religionem tueri conseruareque voluerit, ne status illius vel diuini iudicij seueritate peruertatur, vel Regia potentia opprimatur, vel optimatum diuisione scindatur, vel hostium armis euertatur, vel populari confusione perturbetur. Nam & sacerdotem habet, à quo de colendi veri Dei ratione instruitur: & Regem habet, ne multorum imperio distractum, dilaceretur: & senatum habet ne Rex inconsiderate ruat, vel aliquid in subiectos sibi populos furenter & temere moliatur: & equites habet, ne quis impune pestem & exitium in capita ciuiũ machinetur: & populum habet ne vitæ præsidijs & commoditatibus destituatur. Sacerdos-

 osten-

ostendit quibus vestigijs ad beatorum sedes eundũ sit: Rex à suo eminenti solio prospicit, vt ius cuique suum seruetur: Senator consilia, suggerit, vt idipsum iuste prudẽter & moderatè exequatur. Eques armatus hastas & gladios tenet, vt quãdo iussus fuerit, Regijs conatibus obsistentes reprimat: Populus prouidet, vt ne quid ijs qui in speculis Reipub. positi, pro Dei gloria patriæque salute, excubant, ad vitæ conseruationem deficiat. Quam Reipub. faciẽ maiores illi nostri optimo consilio vsi, in omni societatis humanæ moderatione tribus illis Rerumpub. generibus anteponendam esse putarunt, eamque in patria sua constitutam vetustateque corroboratam nobis tradiderunt, atque commiserunt: vnde consecutum hoc quoque esse videmus, vt si qui fuerunt qui patriæ nostrę pacem & tranquillitatem armis suis vexandam atque perturbandam putauerunt, illi re & veritate experirentur, quam difficile sit statum ita constitutæ Reip. peruertere: quamque Polonis essent omnia ad frangendos inimicorum impetus expedita. Moschorum apud Orsam octoginta millia non magna nostrorum manu vno die profligata legimus. Scytarum belluinam illam feritatem, qui soli propemodum olim contra Romanorum potentiam id ausi sunt, quod reliquarum nationum fugisset, & reformidasset audacia, magnis tamen & memorabilibus prælijs aliquoties repressam, apud

Ocza-

Oczakouiam & Visneucciam ingenti clade accepta, magnopere diminutam accepimus. Turcarum autem arma quis hoc tempore non reformidanda putet? experti tamen ii quoque sunt magno suo in commodo, cum in Valachia, tum in Russia, neminem posse patriæ nostræ exitium, sine suo exitio machinari, vel sicut quidam de Romanis scriptum reliquit, nil esse difficilius, quam armati Poloni latus fodere: adeo, vt Machometes Turcarum Rex à Casimiro IIII. & Baiazetes à Ioanne Alberto Poloniæ nostræ Regibus, amplissimis oblatis muneribus, pacem & amicitiam petere cogerentur. De Grunevaldēsi victoria, quo loco quinquaginta millia rebellium Crucigerorum vno die maiorum nostrorum armis ceciderunt, non est huius loci & temporis memorare. Equidem si maiores illi nostri laudis & gloriæ paulo fuissent cupidiores, quàm pacis & libertatis conseruandæ studiosiores (quibus rebus Romana Resp. in tantam olim amplitudinem excreuisse memoratur) quacunque impetum tulissent, victorias & triumphos reportassent: sed sua fortiter tueri, quàm contra Christi præceptū aliena appetere maluerunt; summam scilicet fœlicitatem, existimantes (sicut magnum illū Ioannem à Lasko Archiepiscopū Gnesnensem Lauredano Venetorum Duci respondisse legimus) si non transcensis finibus alienis, sua fortiter tueri, cæterisque nationibus contra barbaro-

rum irruptiones pro fide & Repub. Christianæ præsidio esse liceret.

Has itaque victorias, hanc reip. faciē, hęc pacis belliq; consilia quid nobis aliud peperit nō video, quā cōstans & perpetua laus integræ & incorruptę fidei Christ. conseruatę. Sed maiorē etiam diuinæ bonitatis & misericordię magnitudinem animaduerte. Cum sathanas in vicina nobis Germania Lutherum Antichristi pręcursorem, in signe illud Dei omnipotentis odium, (& si homines odissent quos oportet, etiam omnium hominum) ab inferis suscitasset, vt pacē Ecclesię Catholicæ perturbaret, & omnia diuina humanaque iura sursum deorsum ageret: visumq; etiā esset iusto, sed tamen nobis occulto Dei iudicio, patriæ quoque nostrę constantiam, & soliditatē per Lutheranos Pseudoprophetas pertentare, vtrū essemus maiorū nostrorum similes, an alicuius hominis nil sibi non arrogantis, nil cæteris non detrahentis amorem, eius amori anteponeremus: neq; defuissent, qui Christiana maiorū fide reprobata, Lutheranam perfidiam (ò turpē notā temporum nostrorū) sequi, quam in suscepta propositaq; sententia permanere maluerūt: omnia vicissim benignissimus ille pater remedia præparauit, quibus homines amentes, & in omnibus vitę cōsilijs pręcipites, ad mentē officiumq; reuocaret, nec vllius medicinæ facultatē patriæ quoque nostræ deesse passus est, quā cæteris omnibus Regnis

& imperijs quoties in similes laqueos inciderãt vt ex illis eriperentur, adhibere cõsueuerat. Magnis olim erroribus Chaldęorũ populi tenebãtur, cùm rerum causas ad motũ syderum, non autẽ ad Dei potentiã & voluntatẽ referebant, sed misericors Dominus ferre non potuit, vt in errore turpissimo consummarentur. Suscitauit enim oportunissimo tẽpore admirabilẽ illum Patriarcham Abrahamum, qui fuit illis quasi via rectæ fidei, creatoris omnipotentiam ostendens, & à cultu & veneratione rerũ creatarum auertens. Ægyptij mirũ in domum erant præstigiatorũ artibus & incantationibus de statu mentis deturbati, sed Dominus amicũ suũ magnum illum Moysen exhibuit, qui dæmonum fraudes detegeret: & Domini potentiã & gloriã per verba & miracula prædicaret. Israelitarum rationes valde erant in aliquo tẽpore conturbatæ, nullũ enim certũ magistrarum habebant cuius impetio tenerẽtur, ecce subito Samuel diuinus affulsit, qui magnũ pręsidiũ inclinatis rebus attulit, & sub vnius imperium Dei mandato subiunxit. Achab ille Rex impius Deũ patrũ suorum dereliquit, & diuinum cultum manufactis simulachris adhibuit: sed Dominus Eliam Thesbiten suscitauit, qui Regis impotentiam frangeret: atq; ad vnius veri Dei cultum reuocaret. Posterioribus autem seculis, cũ Arrius, Eunomius, Macedonius, Donatus, Pelagius, & alij Ecclesiæ Catholicæ desertores nouis excogitatis

gitatis artibus ſcripturas ex ſcripturis, legem ex lege, Euãgelium ex Euangelio, verba Chriſti ex verbis Chriſti impugnare, atq; ad eundẽ illum infidelitatis perfidiæque ſcopulum, ad quem initio omnia ſemper ſua ſtudia atque conſilia Sathanas referebat: vt diceret impius in corde ſuo, non eſt Deus, etiam electos ſi fieri potuiſſet perducere atque allidere conarentur: ſuſcitauit iterum Dominus admirabiles illos Orthodoxæ veritatis defenſores, ſanctitatis & eruditionis laudibus celeberrimos, Athanaſium, Baſilium, Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, Damaſcenum, & alios, vt Theologus loquitur. τοιούτοις καὶ τηλικούτοις στρατηγοῖς, qui hæreticorum melle litos gladios, fraudeſque ſub ſpecioſo verbi Dei titulo occultatas detexerunt, Sathanæque conſilijs vſque ad ſanguinem reſtiterũt. Sed & his poſtremis Reip. Chriſtianæ temporibus, cum primus omnium Lutherus, in gremio Deo ſacratæ virginis, mentẽ metumque depoſuiſſet: eumque authorem ſecuti, Philippus, Oecolampadius, Brentius, Caluinus, Seruetus, Bucerus, Oſiãder, Liſmaninus, Fricius, Ochynus, Gregorius, Laskus, Vergerius, & alia buſta religionũ & Rerumpub. omnium, pacem Eccleſiæ perturbare, ſuaque zizania in agro dominico ſuperſeminare cœpiſſent: Deus bone quot in Eccleſia Dei ſydera, quot doctores, quot Martyres, quot confeſſores, ἀπὸ μηχανῆς quod aiunt, in omnibus orbis partibus

bus eluxerunt, qui sese contra pestes illas pro Ecclesia Dei murum opposuerunt, & impetus aduersariorum ad euersionem Christianæ religionis incitatos, inuicto prorsus animo mortisque & periculorum contemptore represserunt. Habuit Germania (vt ex multis paucos aliquos referamus) magnos illos & admirabiles Echios, Pflugios, Sõnios, Surios, Cochleos, Staphylos, Vicelios, Lindanos, Canisios, Heselios, Tapperos, &c. Habuit Italia Caietanos, Catharinos, Contarenos, Campegios, Sadoletos, Pighios, Lipomanos, Picos, Pios, &c. Habuit, Gallia, Danesios, Pamelios, Espenseos, Demochares, Sanctios, Vigoreos. Habuit Hispania, Sotos, Alphõsos, Canos, Medinas, Fontidonios, Torrenses, Viguerios, &c. Habuit Anglia, Polos, Roffenses, Moros, Arboreos, Sanderos, Hardingos, Stapletonos, Alanos, Copos. Habuit Lusitania, Osorios, Payuas, Casalios, Forerios. Habuit & habet ad hũc per Dei gratiã nostra quoq; Polonia suos Hosios, Cromeros. Orichouios, Patricios, Scargas, Varsouicios, Vvargouitios, Gorscios, Socolouios, Herbestos, Solicouios, Pouodouios, Bialobrzescios, Kochanouios, (omnes enim omniũ prouinciarum viros præstantissimos oratione persequi longioris subsellij negotium esse statuo) qui ciues suos ab accipienda peste nunquam auertere desierunt, ac ne nunc etiam desinunt: nil vt aliud expectare iam debeamus, quam vt

hæc

hæreticorum studia & contentiones eum exitum accipiant quem optamus; & quē acceperunt ij, qui eos in simili audacia & impietate pręcesserunt, quorum memoriā cum sonitu, vt ait scriptura, perijsse videmus & gaudemus. Quis illā Ariomantiarū potentiā non reformidasset, cum in perniciē Orthodoxę fidei, cruces & æquuleos fixisset? cum igne, flamma, ferro, supplicio, exilio, eos omnes persequendos & euertendos suscepisset, quicunque cum orthodoxis patribus sentire, ab Arij verò perfidia dissentire voluissent? Orbis ipse, sicut ait Hieronymus, Arrianū se factum esse mirabatur. Quid autē ad extremum consecutum est? Vicit Christus, victus est Arrius. Vicit veritas, occidit falsitas. Mentita est iniquitas sibi. Arrius Antichristus omnium vbique votis & sententijs condēnatur. Athanasius autem, Basilius, Gregorius, & alij per quos locutus est Christus verissimis iustissimisq; laudibus in toto orbe Christiano celebrantur. Leo quoq; Imperator sacris imaginibus earumq; cultoribus bellum nefarium intulit; successor eius Cōstantinus Copronymus simili amentia incitatus, vim totā suæ potestatis ad earum euersionē adhibuit. Deiectæ fuerunt Christi, & sanctorū eius imagines, deletę, combustæ, cōtritæ: in plerisq; locis sublata earū memoria putabatur. Qui verò cùm Ecclesia Dei sentiebant, imaginū defensores, de suis sedibus deturbati, in exiliū acti, mille pœnis, mil-

le mortibus obiecti sunt: nemo non putabat, cultum imaginum in sempiternum tempus perijsse. Quid autē euenit? Vicit Ecclesia, victa est Iconomachi perfidia. Leo dānatus est: & Germanus, Epiphanius, Damascenus & alij multi Dei iudicio & orbis Christiani testimonio probatus est. Idem est hoc tempore qui fuit maiorum nostrorum Deus, æque bonus, æque misericors, æque salutem animarum nostrarum sitiens, idem quoq; est exitus expectādus earum pestium, quæ nunc magnam, pro dolor, Orbis Christiani partem infecerunt. Habet enim ista quoque nostra ętas suos, vt iam diximus, Athanasios, Ambrosios, Basilios, Gregorios, Iuones, Lantfrancos, Bedas, Thomas, Giselbertos, quibus secūdas partes post sanctos illos patres solum tantū tēpus tribuit: qui siue per vitā, siue per mortē, vt ait Paulus defendere Ecclesiam Dei nō verentur, quibus viuere Christus est, & mori lucrū. Imo verò (quo nomine tibi Christe immortales agimus gratias) habet Cōstātinos, non habet Iulianos: Martianos, non habet Copronymos: habet Tyberios, non haber Zenones, habet Theodosios, non habet Theophilos, qui loci vocationisque suæ memores seruiunt Domino in timore, leges quas non possunt facere nisi Reges, iusta præcipientes, & contraria prohibētes, cōuenieti rigore sanciendo, quibus det Dominus tātū velle, quantū in Christi causa uelle debēt, tantū possent quantum volent.

Cum itaque inter alios præclaros & eruditos viros, quos Ecclesię Dei patria nostra charissima peperit, Hosium quoq; vt diximus, velut sydus quoddam ad illuminandos cæteros, atque ad viam veritatis ostendendã, in hanc lucem produxisset, nil in omni vita diuino illi viro fuit antiquius, quam vt ciues suos in maiorum fide cæterisque pietatis officijs verbo & exemplo contineret: Lutheranæque perfidiæ labem ab ingressu charissimæ patriæ prohiberet. Quamobrẽ curas suas omnes & cogitationes in hoc vno studio, & conatu defixas ante omnia habebat, vt eã religionis faciem in Regno videret, quam antè natam Lutheri perfidiam viderat, cum idem saperent omnes, eandem charitatem haberent: vnanimes idipsum sentientes: nec vlli essent vel Lutherani vel Caluiniani, sed omnes & essent & dicerentur Christiani. Hoc in omnibus vitæ studijs & consilijs laborauit, hoc vnum vt assequeretur contendit, præ huius rei desiderio cætera omnia posteriora duxit: ita vt maiore conatu, pro salute animæ suæ laborare non potuerit, quàm pro salute proximorum toto vitæ suæ tempore laborauit. Nunquam eum suscepti negocij pertæsum est. Suam salutem, suam existimationem, in ea re agi putabat: vt ne quisquam à via veritatis aberraret: neque tamen verbo magis & calamo, quam re, & opere, & veritate laborauit: memor illius quod Saluator ait: Qui fecerit &

docue-

docuerit, magnus vocabitur in Regno cælorum. Faciebat enim quod docebat, ac omnia tempora & momenta, omnes vitæ rationes tanta cum integritatis & innocentiæ laude transigebat, nemo vt eum diem viderit, quo cuiusquam interesset Hosium mori: vicissim autem nemo Christianus, nemo Catholicus esset, qui se modo eum esse meminisset, qui Hosium immortalem si fieri potuisset, esse noluisset. Habebat enim verè Abrahamicus ille senex, pectus suum omnium virtutum laudibus instructissimum, velut quoddam Spiritus sancti domicilium. Habebat intimis medullis inclusam Petri fidem, Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini doctrinam, Basilij grauitatem, Athanasij zelum, Chrysostomi eloquētiam, Ambrosij libertatem, Gregorij vigilantiam, Hieronymi seueritatem in seipsum exercebat. In conuersatione & consuetudine hominum Meletium, in contemptu vitę Martyrijque desiderio Cyprianum referebat, (neque enim mihi pertimescendum video, ne sanctissimi illi ac beatissimi viri inuideant, si ijsdem quibus ipsi abundabant laudibus hic illorum imitator honoretur) didicit quod docuerunt, fecit quod iusserunt, secutus est quo præcesserunt. Quamobrē etiā factus ad extremum erat, velut arca quædam virtutibus abundans, ex qua in Orbem vniuersum pietatis exempla emanabant. Erat velut manus quædam, cathedram vnitatis in

Z qua

qua posuit Dominus doctrinam veritatis osten dens. Erat velut vox clamantis in Orbe Christiano; Non est fides nisi vna, & quicquid est extra vnā fidem non fides, sed perfidia est. Erat quasi tuba, vastum in omnium auribus clangorem fundens, quod quisquis cum Romana Ecclesia in fidei doctrina non concordat, Christianus non est. Erat velut petra quædam ad sustinendos hæreticorum impetus opposita, vt in eius constantia & soliditate palam omnibus fieret; quod Sacerdos Dei Euangelium tenens, & præcepta Dei custodiens occidi potest, vinci non potest.

Quoties hæretici Lutheranæ perfidiæ fœditatem, quam Cōfessionem Augustanam (Christiana enim non erat, & ab ipsis Lutheranis, Polnischer Stiffel, hoc est, ocrea Polonica, siue cothurnus vtrique pedi aptus vocabatur) dici voluerunt, interposito Comitiorum decreto, in patriam nostram introducere contenderunt, qua audacia, quo conatu, quibus artibus, quibus terroribus, vt id perficerēt laborauerunt? Sed obstitit eorū conatibus Christi minister Hosius, vicit Christus, victus est Antichristus. Factæ sunt plagæ illorū sagittæ paruulorū. Quoties Lutherani & Caluiniani aduersarios suos, sed tamen filios suos, Trideistas & Anabaptistas ex omnibus Regni Poloniæ finibus exterminare, suam autem perfidiam tolerari, vel potius canonizari (hoc etenim verbo vti consue-

uerat

uerat Hoſius) voluerunt, ſed obſtitit eorum conatibus Hoſius. Vicit Chriſtus, victus eſt Antichriſtus: Quoties nationale quoddam concilium congregari, in eoque de vniuerſalis Concilij Tridentini decretis diſputari, & omnes Orthodoxę fidei articulos in dubium reuocare conati ſunt; & nouam præterea quandam fidiculam ex omni Regni ordinum ſententia ſcribi promulgarique voluerunt? Sed obſtitit eorum conatibus Hoſius. Quoties in Regijs ciuitatibus templa Deo ſacrata, vt in ijs Deo ſuo Luthero, & Caluino ſacra facerent appetiuerunt? ſed obſtitit eorum conatibus Hoſius. Quoties Caluiniani quidam Synagoniſtæ, Theodori Bezæ Symmiſtæ, Regni religioniſque ſtatum perturbare, & ſicut in Gallia, ſic in Polonia ſurſum deorſum miſcere imaque ſummis paria facere contenderunt? Sed obſtitit eorum conatibus Hoſius. Vicit Chriſtus, victus eſt Antichriſtus. Quoties Principi nefaria quædam ſeparationis conſilia ſuggeſſerunt, quibus perfectum iri ſperabant, vt Eccleſiæ Catholicæ nuncium remitteret, & illius capiti Romano Pōtifici diceret, Non ſeruiam, ſed poſt Deos alienos ambulabo? Sed obſtitit eorum conatibus Hoſius. Vicit Chriſtus, victus eſt Antichriſtus. O Epiſcopum natum Eccleſiæ, memorem ſui nominis, imitatoremque maiorum.

Equidem ita ſentio, quod niſi pulcherrimū, hoc, τοῦ ὁσίου cognomen à maioribus ſuis hæredita-

ditarium accepisset, id ipse sibi posterisque suis, virtutis suæ præstantia peperisset: Neque enim vnquam vitæ suæ splendorem, vlla turpitudinis macula aspersit, nullo suscepto facinore laudum suarum gloriam inquinauit, nullas tenebras nominis sui claritati offudit. Summa erat in homine pietas, incredibilis sapientia, pene diuina eruditio, inusitata clementia, charitas in omnem proximum tanta, maiorem vt materna viscera, erga proprios filios ferre posse non viderentur, tantus denique in omni varietate temporum rerum omnium modus, vt à primis illis, & puerilibus annis, per varios dignitatis, & honorum gradus ad summum illum, ad quem peruenerat authoritatis apicem ascendēs (quis enim ei viro honor nō debitus tribui poterat?) ad extremam vsque senectutem intactus (sicut ait ille) à sibilo peruenisse videretur. Deinde verò, quam laudem in numerum rerum admirabilium sacræ Scripturæ auctoritas referendā existimauit, post aurum etiā non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quo magis etiam illud de misericordia Dei nobis pollicemur, posteaquam illi visum est, ad accipiendam Regni cœlestis possessionem, virum illum admirabilem, ex istius corporis domicilio euocare, quod ipsæ quoque beatorum animæ lætantur, quod nouus iste Christi confessor confessorum in cœlis numerum auxerit. Lætantur (sicut de Basilio quoque suo scriptum reliquit Nazianzenus) ho-

hominem ad se consimilem moribus venisse, athletam athletæ: coronatum coronati, animo castum, corde puri: præconem sermonis, ministri sermonis: in quorum etiam societate longe maiore, quam cum in carne viueret contentione Deum precari nunquam intermittet, vt nesit amplius inter nos Iuda & Israel, Roboā, & Hieroboam, Hierusalem & Samaria. Ipsi quoque Deiparæ virgini supplicabit, & sacratissimis illis Apostolorum Principibus Petro & Paulo, ad quorum hic cineres cordis suis sanguinem, per lachrymas ex oculis defluentes cōmuni Regi & Domino, pro Orbe Christiano offerebat, Adalbertum quoque Gnesnensem, & Stanislaum Cracouiensem Episcopum patriæ suæ Patronos, & Aduocatos exorabit, vt infirmitatem humanam orationum suarū præsidijs dignam putent, & pro ea fide, quam in Orbe Christiano plantauerunt, pro Ecclesijs quas constituerunt, pro populis quos verbo veritatis genuerunt, pro quibus cathenas gestauerunt, mortem sustinuerunt, laborare, apud cœlestem Regem non desinant: quo dignetur auferre ex cordibus hominū cor lapideum, & dare cor carneum, vt sit multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, vt sit vnus pastor, & vnum ouile.

Non vereor autem ne me quisquam existimet diuturnæ consuetudinis, quæ mihi cū Hosio intercessit, & eius beneuolentiæ, qua me ad

extremum vsque vitæ suæ diem prosequutus est, dulcedine delinitum, hæc quæ dico omnia libentius, quàm verius prædicare: cum ita communis, ita cōstans, ita perpetua sit omnium de Hosij nostri pietate opinio, vt etsi præcipuum meum, erga illum studium esse deberet, pene tamen æqualiter cum cæteris versari videatur. Hoc enim in omnibus pene libris, & litteris summorum, & doctissimorum virorum, qui nostra hac tempestate floruerūt, obseruaui, quod magna sit inter omnes in omnibus Orbis partibus de Hosij præstantia consensio. Alij vocant Ecclesiæ columnam, alij malleum hæreticorum, alij ornamentum Collegij Cardinalium, alij Polonicum Patriarcham, alij senem vere Abrahamicum, alij Magnum Hosium, alij Prælatum probatissimum, alij nostri temporis Augustinum, alij alterum Poloniæ Stanislaum, nouum Bessarionem, huius sæculi Hosium, Melchisedechicum Sacerdotem, nunquā satis laudatum Ecclesiæ defensorem, rectæ fidei custodem uigilantissimum: Orbis miraculum, Patrem patratum: Romani Senatus ornamentum, Apostolicæ Sedis propugnaculum, Christi fortissimum Athletam, Phœnicem Cardinalium, Curiæ Romanæ splendorem, formidabilem hæreticis aduersarium, senem suaui loquentem: alij synceræ pietatis magistrum, Dei interpretem, alteram Pauli manum, alij alijs laudibus celebrant, & vsque ad sydera tollunt

ſunt, omnes vno eodemque ore ſanctitatis & eruditionis teſtimonium perhibent, & antiquæ pietatis imaginem appellant: idque etiam in auribus omnium gentium, ac nationum cantare prædicareque non dubitant: & docti in bibliothecis; & indocti in circulis; & magiſtri in scholis, & antiſtites in ſacris, & prædicatores in cathedris, & in verſibus Poetæ, & in montibus Eremitę, & in Orbe terrarum vniuerſum genus Chriſtianorum: hoc enim ſummis, & præcipuis viris euenturum, apud Danielem legimus. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiens multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Ad libros autem eius quod attinet, tam eſt omnium laudibus peruulgata, & percelebrata Hoſianarum lucubrationum vtilitas, vt quod olim de quodam Gregorij Thaumaturgi ſcripto creditum eſt, id multi de Hoſij quoque noſtri libris exiſtimare non dubitent: quod eos ipſa mater Dei virgo Maria ſcribenti dictauerit: vel quod de Baſilio ſuo, Theologus ſcriptum reliquit, in pixide Spiritusſancti calamum ſuum ſcribens intixerit: ne alia contra noſtri temporis hæreticos ſcribēdi materia ſcriptoribus vllis relicta, poſt Hoſiū eſſe videatur. Neque etiam dubitauit vir quidam eruditus Germanos ſuos admonere: vt Hoſij Chriſtianę Catholicę fidei confeſſio, in omnibus templis, & Cathedris ab omnibus Parrochis populo prælegeretur, &

iterum atque iterum repeteretur, cum vix quiſquam iſto, vt ait, ſæculo plenius, vtilius, apertius, magis etiã ordinate, totũ corpus doctrinæ Chriſtianæ, totamq; illius vim & rationẽ complexus eſſe, nec efficacius Lutheri errores, & aliarum ſectarum vanitates refutaſſe, videatur. Ita vt merito poſſit, propter admirabilem vitæ ſanctitatem & diuinam pene eruditionem, rerumque maximarum vſum, & experientiam, nõ pro qualibet Eccleſiæ Dei columna, ſed pro altero huius temporis Auguſtino reputari. Cuius rei illud quoque maximum argumentum eſſe ſtatuo: quod ipſo etiam auctore viuente bis & trigeſies in præcipuis Chriſtiani orbis vrbibus, Latina, Germanica, Gallica, Flandrica, lingua omnes Hoſij libri typis excuſſi, in Polonicam etiam & Italicam tranſlati videbantur, & fortaſſe etiã in Armenicam, ſicut ex ſermone viri cuiuſdam in hac vrbe Illuſtriſſimi accepimus. Romæ, Pariſijs, Venetijs, Lugduni, Antuerpiæ, Coloniæ, Moguntiæ, Dillingæ, Cracouiæ, Viennæ, tam facile per manus hominum diſtrahebantur, tam auidè à doctis & indoctis legebantur, & aſſeruabantur: quin & hoc ex Epiſcopo Ruremundano Guilielmo Lindano, viro in Eccleſia Dei notiſſimæ pietatis & doctrinę, in vrbe cum eſſet audiuimus: quod ſicut olim de Baſilio, ita nunc in quibuſdam Germaniæ Academijs de Hoſio exiſtiment, nefas eſſe in fidei doctrina ab illius ſententia diſcedere. Ipſi quoq;

Lutherani Catholicam fidem, Hosen Glauben hoc est, Hosianam fidem, & ipsum Hosium. Polnischen Gott hoc est, Deum Polonorum, sicut olim Hunni Theothimum Scytarum Episcopum, propter summam eius virtutem, Deũ Romanorum vocare non dubitauerunt. Tam magnus erat in orbe Christiano Hosius, tam Hosij laudibus & gloriæ orbis angustus videbatur. Quo magis dolendum est, tantum illud præsidium, quod in illius vita doctrina, pietate, sapientia positum videbatur tam necessario Ecclesiæ Catholicæ patriæque nostræ tempore defecisse: quem immortalem si fieri potuisset, esse oportebat: cum præsertim hostes Ecclesiæ pacem adhuc Ecclesiæ perturbare non desinant: necdum & receptui canant: sed licet se se legum vinculis & armorum periculo per quandam confœderationem liberatos esse glorientur, armatum tamen contra Catholicos gerunt animum, & in hoc vno studio curas adhuc & cogitationes suas consumant, vt à Christo in Bethlehem nato, ad Antichristũ Islebiẽsem vel Geneuensem vel nescio quẽ alium quamplurimos conuertant; nisi quod hæc iactura deplorari potest, corrigi non potest. Nos enim, vt ait scriptura, ibimus ad illum, ille autem non reuertetur ad nos. Deinde vero scitum est illud Paulini.

Impia nam pietas animam lugere beatam.
Gaudentemque Deo flere nocens amor est

Et

Et satis ille quidem & ætati vixisse videtur, & gloriæ, & si rerum gestarum magnitudinem respexerimus, nunquam viuere desinet. Quandiu litteræ sacræ latinique sermonis consuetudo & eloquendi elegantia, in orbe Christiano manserit, Hosij Cardinalis nomen optimis & doctissimis viris annumerabitur, nec vllam vetustatem collecta per eum sanctitatis fama pertimescet. Nos autem quod attinet, si ad vota, studiaque singulorum atque ad præsentem Reipu. statum oculos vertimus, certum & indubitatum est, quod quandocunque tandem obijsset, parum vixisset. Nunquam enim foecundissimi illius pectoris opera non potuisset, non esse Ecclesiæ Dei valde necessaria.

Hic itaque homo Dei (magna videlicet orthodoxæ veritatis tuba) cum ex istius corporis domicilio migraturus esset, neque se Ecclesiæ Dei, causa quicquam adhuc præstitisse putaret, nisi illius rationibus, etiam e sepulchro succurrere conaretur, Lucubrationum suarũ quæ adhuc in thesauris eius latitabant, me hæredẽ, cum cætera omnia refutarem, testamento suo constituit: vt si quid in illis esset, quod intelligentium iudiciis in hac vrbe, quæ semper habita est altrix doctissimorum virorum, probaretur, quod gloriam Dei propagare, quod hæreticorum audaciam frangere, quod infirmorum tepiditatem inflammare posse videretur, edendi &

di & imprimendi facultatem & copiam permitterem, sin minus inter mea κειμήλια reponerem.

Ego vero cum intelligentium iudicia cognouissem, nil prius & antiquius habui, quam vt ea sub tuo, Stephane Rex potentissime, nomine & tutela, & patrocinio, in lucem hominum euulganda susciperem. Multæ enim & magnæ causæ erant, quæ mihi huius consilij & cogitationis initium attulerunt. Nam & in eo regno lucem hanc primum, tam præclarus hic author aspexit, cuius tu nunc gubernacula, iuste, prudenter, fortiter, & temperate moderaris, & eius Regni causa præcipue curas istas & cogitationes, & vigilias, & labores sustinuit: & in eo Regno ad vnitatem Ecclesiæ præcipue reuocando vehementius laborauit: quod etiam ipse, qua erat modestia, pluribus in locis confessus est, cùm ea quæ scripsit, Tarentinis, sicut ait ille, & Consentinis, hoc est, Polonis, Lithuanis, & Pruthenis, non autem Romanis; e scripsisse memoraret: vt existimare debeas tibi hæc omnia scripta ab Hosio fuisse, cum ad antecessorem tuũ Regem Sigismundum pro eius Regni salute scripta sunt, cuius tibi rationes, vt eas partim consilio, partim etiam armis tuis sanares, summa Dei bonitas & misericordia commendauit. Deinde vero non desunt adhuc, proh dolor; in Regno tuo homines Deo rebelles, falsitatis erroribus implicati, qui hoc genus

veritatis antidoto vehementer indigent.

Cum itaq; Ioanni à Lasko visum esset, probare se non posse sui similibus (quod Ecclesiæ rebellis, & hæreticus esset) nisi Hosio quoque Ecclesiæ defensori se inimicum esse declararet, aureum illum de expresso Dei verbo libellum, quē tantas vtilitates peperisse videbat, & dolebat, scripto quodam suo refellendū refutandūque suscepit: in quo suā quondā fidiculam, quā etiam oppressum Dei verbum (o vim veritatis incredibilem) vocare voluit, Orthodoxæ fidei repugnantem, pro puro, puto, et expresso Dei verbo, cum ipsi Regi Sigismundo tum subiectis eius imperio populis, hauriendam propinabat: Cæteris enim in rebus Caluini doctrinam sequebatur, in doctrina vero de Eucharistia Suisticam (hoc enim verbo vti cōsueuerat Hosius) hoc est suam propriam, et priuatam sui capitis opinionem, non iam poetica vel pictoria (vt ait Tertullianus) sed tertia quadam hæretica licentia vsus, in medium adferebat. Nec alium finem propositum habuisse videbatur, quam vt in patria nostra ex hoc eius labore & contentione, aut legum, aut hominum interitus sequeretur. Sed vere dixit S. ille Pater Augustinus, Felix est cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem. Veritas enim falsitatem, non falsitas debet oppugnare veritatem. Accidit igitur Laskij libello quod suo tempore nescio cuius hæretici libello accidisse in platea cuiusdam mariti-

mi

mi oppidi idem Augustinus memorat. Nam & Laski libellus in platea maritimi oppidi Braunbergensis, quod Episcopo Varmiensi subiectũ est, à quodã prætereunte inuentus, ad Hosium Episcopum deportatus erat: quem ille cum legisset, etiamsi nullum id temporis hereticum scriptorem uidisset, qui maiore auctoritate nil diceret, memor tamen illius quòd à quodam patre scriptum legerat: Hæretici scriptis suis firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt: tum ut illam Augustini reprehensionem effugeret, qui de sui tẽporis Episcopis scribens queritur, quòd sæpe noluissent dicere, quod teste scriptura poterant dicere; timentes uidelicet, ne loquentibus illis, qui ueritatem non potest capere offendatur; & non timentes, ne tacentibus illis, qui ueritatem posset capere falsitate capiatur: Hæc inquam cum animo reputans nullo momento temporis interposito, cum pestem illam in lucem hominum prodiisse putaret, etiãsi ternis Pauli IIII. litteris, Concilii congregandi caussa, ex Episcopatu suo euocatus, iter in urbem adornaret, confutationem tamen Lascanarum Fabularum ipse quoque est aggressus: ut si quispiam ex illarum lectione, in qua auctor ramos loquacissimi erroris expandere uoluisse uidebatur, incommodi accepisset, Catholicæ ueritatis antidoto sanaretur: ac illud etiam palam omnibus faceret, quam nihil sit

cor

cor acutum & lingua expolita, nisi à Domino gressus hominis dirigantur. Cæterum Laskus non ita multo post antequam librum suum typis edendum curasset, è rebus humanis exemptus est, & Hosius qui uirtutes suas potius quã uitia celare didicerat, ab editione libri sui abstinendum sibi quoque esse existimauit, ne cum laruis (sicut aliquando dicebat) pugnare, uel aerem uerberare uelle uideretur.

Hunc itaque Hosij de oppresso Dei uerbo libellũ nos ad te Rex inuicte mittimus, ex quo magis etiam liquide perspicies, quod hæretici scripturas habere possunt, Biblia habere possunt, Euangelium habere possunt, verum autẽ scripturarum intellectum, verum Euãgelij sensum, quia extra Ecclesiam sunt, habere nõ possunt. Licet Euangelij verba in ore & in lingua prompta habeant, licet disputent, diuidant, argumenta faciant, patrum & Conciliorum dicta & auctoritates adferant, mendaces sunt, lupi sunt, hostes Christi sunt, quamdiu se se ad Ecclesiam, quæ corpus eius est, nõ adiungunt. Sicut enim ait Tertullianus, si quis in tibiam flauerit, non propterea tibiam hominem fecerit, quamuis de anima sua flauerit, ita non statim verum & expressum Dei verbum fecerit, quicquid aliquis ex scriptura in medium attulerit, nisi idipsum cum Cathedra vnitatis concordauerit. Cathedram autem vnitatis, sicut in alijs, sic in hoc quoque præsenti libello aliam

esse

esse non posse ostendit Hosius, quam eam quæ & in capite Orbis vrbe Roma, cuius fidē Apostolica voce laudatam esse scimus, in qua perpetuo (vt eiusdem auctoris verbis vtamur) conseruatam eam fuisse, quæ est ab Apostolis traditionem refert Irenæus, cui totam doctrinam Apostolos vna cum sanguine profudisse asserit Tertullianus: ad quam accessum habere perfidiam nunquam potuisse testatur Cyprianus: quam ita semper incorruptæ patrum doctrinæ fuisse tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex ijs quæ scripserunt Ambrosius & Hieronymus didicimus: in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum narrat Augustinus: quam hæretici fœtoris semper expertem permansisse, nec vnquam in ea qui contrarium sentiret sedisse, quin potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuisse, testatur Theodoretus: ad quam propterea de fidei causis iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus nunquam non relatum fuisse, asserit Bernardus, quod ibi potissimum damna fidei sarcita iri spes foret, vbi fides non posset sentire defectum: cuius morem multas gentes propterea imitatos esse in sacris rebus scripsit Lantfrancus: quod tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis claret, & nulla per orbem Ecclesia æque vt Romana ab omni fece hæreseon cunctis retro temporibus pura permansit. Sed non est insti-

instituti nostri fusius ea de re disserere.

Cum autem in Episcoporum vigilantia plurimum sit præsidii collocatum, vt homines istā vnitatis Cathedram & cognoscant, & audiant, visum quoque est intelligentibus viris, vt exempla curæ vigilantiæque pastoralis gregis Dominici pastoribus ad imitandum proponerentur, quæ mirabiliter in omnibus Hosii Ecclesiasticis actis & gestis elucescunt: quanta fide, charitate, lenitate, seueritate, clementia, patientia, præditos eos esse oporteat, qui homines erroribus implicatos, à studiis iniquitatis ad viam veritatis reuocare conabuntur. Quæ omnia Hosius Cyprianum & Augustinum imitatus, summa fide propterea perscribebat, vt de ijs qui conuersi videbantur iuxta Pauli præceptū congauderent omnia membra, de ijs autem qui nihilominus obstinati veritati repugnabant, compaterentur reliqua membra; & sicut Dominus præcipit, vt eos qui voci pastoris suis obedire noluerunt Ecclesiæ denunciaret. Ecclesia vero iuxta potestatem à Deo sibi traditam conuenientia remedia morbis ęgrotantiū adhiberet, vt non solum, sicut ait Augustinus, tenebras erroris, vox prædicantis expellat, verumetiam malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat. Si enim errantes docerentur tantū, & non etiam terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius mouerentur. Vicissim autem si tantum terre-

terrerentur, & non etiam docerentur, improba quaſi dominatione premi viderentur.

Quod autẽ ad Eccleſiaſticas Auctoris Epiſtolas attinet, quarum bonam partem hoc tempore in lucem hominũ mittimus, equidẽ puto futurum, vt lectorem non ſolum iuuent, verũ etiã delectẽt. Sunt enim plenę zeli, plenę pietatis, plenę Euangelicę libertatis, Apoſtolicis plane conſilijs & ſententijs abundantes. Nã quod Paulus Timotheo ſuo præcipit dicens: Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Et iterum: Clama neceſſes, inſta oportune, importune, argue, increpa: id Hoſius noſter per Epiſtolas ſuas re & veritate cumulatiſſime expleuiſſe exiſtimatur: quibus enim ille vigilijs, quibus laboribus pepercit? quod tempus ſine lectione tranſmiſit? quas litteras ſine doctrina & adhortatione ſcripſit? Nullius vnquam magnitudinem & potentiam pertimuit, nullius ſibi faſces & ſecures reformidandas eſſe in cauſa Chriſti putauit, viciſſim autem nullius vnquam tenuitatem vel contempſit vel neglexit. Totum Orbem Chriſtianum ſuas oues eſſe reputabat, pro omnium ſalute æquè laborabat, omnibus ſe debitorem ſentiebat, Catholicoſ in fide confirmabat, hæreticos docebat, medios cõfouebat, omnes diligebat. Reges docebat, quomodo ſeruire deberent Domino in timore. Subditis oſtendebat nullius mortalis pertimeſcendam eſſe potentiam,

tiam, quæ ab vna sancta Catholica Ecclesia quempiam abducere attentaret. Omnia molitus est, in omnia se vertit. Iam se submittit, vt pontem in cœlum faciat properantibus: iam se erigit, vt se murum opponat persequentibus; iam (quod Paulus præcipit) mutat vocem suã; iam sicut gallina expandit alas suas. Conatus hæreticorum, nemo acrius, nemo feruentius, nemo apertius, apud Reges terræ in omnibus Orbis Christiani partibus sine vllis dissimulationis inuolucris oppugnauit, studia & consilia Catholicorum nemo diligentius fouit, promouit, excitauit: nemo familiarius rationem fidei suæ omni poscenti exposuit, nemo Lutheranæ perfidiæ fœditatem, progressionem, diuisionem, vanitatem, simplicis veritatis amicis planius atque simplicius exposuit. Quę omnia cũ ex magna parte pro Regni tui, vt diximus, salute, cum apud antecessorem tuum Sigismundum, tum apud Regni tui Senatores & Equites per Epistolas suas molitus sit, tibi quoq; præcæteris, ò Rex, conuenire videtur, tam laudati Senatoris & Episcopi plena maturitatis consilia cognoscere, illumque quasi adhuc in illo grauissimo Regni tui Senatu sententias ex intima sapientiæ arte venientes proferentem cogitare. Porrò quę de conspiratione potius, quam confœderatione hæreticorum, in illius excussione, & de quatuor in ea cõsiderandis scripsit, neminem tali ingenio futurum puto, quin ea

veriſſima eſſe & proprie ad hoc tuum munus Regium pertinere, atque ad auertendum à ciuium tuorum capitibus nefariæ conſpirationis periculum ſit exiſtimaturus. Huc accedit, quod ſicut medici ſalutaris alicuius medicinæ amaritudinem mellis dulcedine temperant, ſic futurum exiſtimo, vt ipſi quoque hæretici, quos in Regno tuo ſicut ægros ſuos medici, dolentibus adhuc oculis aſpicis, tanto auidius erroris ſui medicinam in Hoſij libris propoſitam accipiant, quanto manifeſtius illam tui nominis dulcedine & gratia tinctam atque delibutam viderint.

Atque vtinam poſſem ſermones quoque Hoſij, quos eius propria manu in Euangelia conſcriptos, Latina, Germanica, Polonica lingua in theſauris adhuc meis teneo, in iſtorum librorum comitatu ad te mittere. Sed aliquod adhuc tempus in ijs in ordinem cogēdis ac deſcribendis ponendum mihi eſſe video: nec demittam iſtam curam, ſuſcipiam etiam omnem actionem, quam video verbi Dei miniſtris fore gratiſſimam.

Diuinitus autem, ò Rex, factum eſſe puto, ut in ea tempora lucubrationum iſtarum editio inciderit, in quibus tu maximis & memorabilibus victorijs & triumphis, de coniurato Latini ſimul & Polonici nominis hoſte Moſcho reportatis, in Regnum hoc tuum reuerteris. Nam ſicut olim Abrahamo à quinque Regum

cede reuertenti Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi gratulabundus occurrit. Sicut Moyſes poſt cedem Madianitarum Phineæ victoriam reportanti obuiam prodijt: ſicut mulieres ex vrbibus Iſrael congregatæ, Dauidem Goliati cede nobilitatum, cum omnibus lætitiæ ſignis exceperunt: ſicut Ioſaphat poſt deletos Ammonitas & Moabitas cum Pſalterijs & Cytharis occurriſſe memorantur. Sic Hoſius quoque alter quaſi Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi obuiam tibi in his ſuis lucubrationibus occurret, teque è prælio reuertentem cum omnibus gaudij lætitiæque ſignis excipiet, ac eadem illa vota tua quoque cauſa concipiet, eademque te benedictione proſequetur. Puta cũ tibi quoque dicere, Benedictus Stephanus Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et ſicut olim trecenti illi viri Gedeoni victori lætiſſimis vocib. acclamauerunt: Domino & Gedeoni: Gladius Domini & Gedeonis. Ita quoque tibi Hoſium acclamare exiſtimabis, Domino & Stephano Regi, Gladius Domini & Stephani Regis, neq; dubites quin magnum ſit pondus hæc illius oratio habitura. Fuit enim ille cum adhuc in carne viueret his tuis laudibus, & virtutibus ad te omni officio colendum non vulgari illo modo, ſed pręcipuo quodam ſtudio, quod ſummis ac de Rep. Chriſtiana bene meritis Principibus debetur vehementius inflammatus: idque tibi

com-

comprobare etiam conatus est, cum de eo sermone cognouisset, quem habuisti, cum quodã ex his, qui ne quid habere commune cum Christo videantur, Euangelici potius quam Christiani dici malunt, quod genus hominũ Esaias Propheta viros illusores vocat, sic enim ait: Quo magis mihi desideratum hoc accidit, vt vestra Maiestas tam aperte Christum confiteretur, etiam eo tempore quo contra Christi suosque rebelles multorum eius generis hominum opera vti necesse habebat, hoc maiore illius exarsi desiderio propter tam fortem & imperterritum animum, quod nulla vsa circuitione testata publice est. Se non nisi vnum Deum & eum patrum nostrorum Deum agnoscere, solum illum in Regno terrisque subiectis coli, nec in societatem eius vllum Belial admittere velle. Quamobrem credibile non est, quanto fuerim studio videndæ Vestræ Maiestatis inflammatus, vt me tenere non possem, quin exclamarem cum illo sancto Rege & Propheta: Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo? nisi quod ego non sicut columbæ, sed sicut aquilæ pennas, cuius velocitatem in scripturis prædicari memini, dari mihi cupiebam, vsque adeò mihi fuit omnis mora longa, qua non aduolarem ad Maièstatem Vestram, quæ tam Christianum illius pectus non exoscularem, qua tantum animi robur in Christi fide contra Christi perduelles tuenda & conseruan

da non illi gratularer. Hoc ſibi certo perſuadere poteſt Maieſtas Veſtra, quod ſi per ingraueſcentem hanc ætatem meam, & imbecilles vires licuiſſet, nihil feciſſem libentius, & ardẽtius quam, vt in viam primo quoque tempore me darem, ac ad vultum illius contemplandum ſemota quauis cunctatione me conferrem. Sic ille Cardinalis ſapientiſſimus, qui in omni re veriſſimum certiſſimumque pulchritudinis iudicium aſſecutus exiſtimabatur, erga tuam pietatem, & iſtum qui in te eminet zelum propagandæ fidei Chriſtianæ fuit inflammatus; quẽ etiam magis ſemper in te eſt, quam iſtos faſces & iſta quæ geris Regia ſceptra admiratus. Neque enim tu, ò virorum fortiſſime, vel minore in Deum fiducia, cum ad auctorem Deum victoriæ tuę gloriam referas (ſicut ex tuis Suirenſibus edictis, & litteris quas iſta quoque vrbs laudibus ſuis vehementer comprobauit, apparet) vel minus fortiter, qui ſpiculis tuis totam pene Moſchouiam ſcrutatus es: vel minus fœliciter, qui res tam magnas tanta celeritate, nõ toto adhuc triennio à ſuſcepto bello, minimo tuo incommodo confeciſti, neque deteriorẽ cauſa, quam olim Gedeon, prælia Domini contra hoſtem Domini coniuratum Eccleſiæ Catholicæ aduerſarium præliaris.

Qui ex patria noſtra in has oras veniunt, tuam erga Deum pietatem, erga S. Sedem Apoſtolicam obſeruantiam, erga Dei miniſtros, &

Sacer-

Sacerdotes humanitatem, & liberalitatem, satis prædicare nequeunt. Hæreticorum errores qui diuinam Regiamque simul auctoritatem, & potestatem, & leges, & iudicia, & pœnā ita contempserunt; nil vt eos delectare videatur, quod aut per naturam fas sit, aut per leges, liceat, & animo, & voluntate summa detestari te perhibent; nec vllius medicinæ facultatem prætermittere, vt saluis hominibus errores eorum interire queant. Quamobrem etiam in arce Polocensi, quam ante triennium è Moschi manibus Herculea claua tua, vel potius feruentissimis orationibus extorsisti, quas ad Deum tota illa nocte expugnationem præcedente, apud tuum illud militare stragulum effudisti. Collegium Societatis Iesu, cuius hodie laus est in Euangelio, omnibus vitæ præsidijs instructum Regia plane animoque tuo digna liberalitate erexisti, vt sit quasi quædam ara fortitudinis, sempiternumque victoriæ tuæ monumētum, in quo tenera subditorum tuorum ætas in recta fide imbueretur, & ij qui Græcorum erroribus implicati aut Hæretica perfidia contaminati sunt, tanto facilius lucē ueritatis aspicerent, quanto illam sæpius doctissimi viri oculis eorum offerrent: tibique etiam lætissimum illud carmen sempiternis sæculorum ætatibus occinerent, Domino & Stephano Regi, Gladius Domini & Stephani Regis. Et nunc etiam de Rigensi ciuitate, atque adeo de totius Liuo-

niæ ſalute, quæ extra Eccleſiam nulla eſt, quæ
conſilia, quas cogitationes ſuſcipias, ex Soli-
couij Secretarij tui pietate digniſſimi litteris
abunde cognoui. Nil hic dicam de Tranſylua-
nico tuo collegio, cuius opera fit vt errores gra
uiſſimos, in quos de religione inciderant illius
Prouinciæ populi quotidie recognoſcant, & ad
Eccleſiam Dei cupidiſſime reuertantur. Nil di-
cam de tua in optimarum artium profeſſores
& Theologos ſingulari propenſione, quos ma
ximis tuis ſumptibus, ex intima Italia in Regnū
tuum euocare amplis propoſitis præmijs con-
tendiſti. Toletum dico, Belarminum, Aquariū,
Muretum, Fuluium Vrſinum, Flaminium, Sigo
nium, Petrum de Valentia, & alia Orbis Chri-
ſtiani lumina. Nil de priuatis tuis orationibus,
lectionibus, ſtudijs, in quibus Chriſtianā eiuſ-
dē Hoſij fidei Catholicæ Cōfeſſionem & Cæ-
ſaris quoque commētaria eſſe præcipua volui-
ſti memorabo, quod ſolum ſi Moſchus cogno-
uiſſet, ſtatim illi ex manibus arma cecidiſſent,
multū enim tibi animi, multum virium acceſ-
ſiſſe ſenſiſſet, eo ſolo nomine, quòd Cæſarem
imitari in laudibus bellicis decreuiſti. Quamo-
brem te etiam vir quidam Eccleſiæ Dei valde
ſalutaris, Homerum imitatus, μύθων ῥηθῆρα πρη-
κτῆρα τ' ἔργων, ad Hoſium Cardinalem ſcribens
appellauit. Aditus ad tuam Maieſtatē eſſe per-
hibēt minime prouinciales. Facilis es in audiē-
do, lenis in diſcernendo, in ſatisfaciendo dili-
gens,

gens, in iure dicendo summa & æquabilis seueritas adhibetur: neque enim pateris, vt leges patriæ aranearum telis persimiles habeantur, in quas si Musca inciderit teneatur, si vespa, telam laceret & auolet. Si quid tractandum est differs, si quid expediendum acceleras. Aures tuæ patent querelis omnium, nullius inopiam Regia tua vis exclusam, delectus in familiaribus peracutus & diligens. Aulæ tuæ grauis & constans disciplina: nec enim in illam otiosis & inertibus, sed aut librorum, aut armorum studiosis, & amatoribus patet accessus. Ministros qui vias omnes pecuniæ norunt, non in tuis intimis reputas. Scis enim tales omnia vicissim pecuniæ causa facere consueuisse, & quod omni laude prædicationeque dignum statuo, cum cęteros omnes potestatis tuæ magnitudine vincas, vincis etiam artificio beneuolentiæ colligendæ, nec quicquam ad tuam Regnique tui salutem & dignitatem amore & beneuolentia ciuium tuorum anteponendum existimas. Times timeri, scis amorem amore, arma armis irritari. In summa sic te in tanta tua potestate adhibes, nulla vt alia potestas ab his quibus præes desideretur. Omnes enim tuos ad laudē impetus recensere, nec industrię meę, nec istius temporis officium esse statuo, nec etiam pertimescendum video, ne laurea ea gloriæ tuæ rebus abs te fortiter, & præclare, & celeriter gestis acquisita amittat aliquo tēpore viriditatē.

Sed

Sed vide, quam suauiter omnia disponit Dominus, quamque egregie extrema cum primis contexat. Tu non erubescis eum coram hominibus confiteri, ille te vicissim non solum coram patre suo cælesti, sed etiam in oculis omnium gentium, & nationum confitetur. Tu vt animas diabolica fraude deceptas Christo lucrifacias, nullos tibi labores, nullos sumptus, nullas vitæ contentiones defugiendas existimasti: Ille vt tibi materiam pietatis exercendæ subministret, potentissimarum prouinciarum accessione te locupletauit. Bonum est, o Rex, confiteri Domino: bonus est enim Dominus Deus noster. Magnus est Dominus Deus noster, & magna virtus eius. Hic est, qui te tam fortem, tam sapientem Regem patriæ nostræ obtulit, hic est, qui cum suo nostroque hosti pene omnia ad perniciem Lithuaniæ patere videret, subito te vnum excitauit, qui nos omni metu periculoque liberares, hic est qui te puerum literis, iuuenem armis, virum consilio instruxit. Hic est qui tuum hostem Principem otio inimicum, pacem metuentem (de quo tu recte poteras illud Homeri dicere,

Ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε, μάχαι τε.)

in manus tuas tradidit, ac istis tot tam præclaris, & memorabilibus victorijs, & triumphis nomen tuum, ad vniuersæ posteritatis memoriam propagauit, nulla vt iam videatur esse Orbis

bis Christiani ora, sedes, locus, quo non tuæ fortitudinis fama peruaserit. Quid ergo? Dicam quod olim Augustinus Bonifacio: Christianus es, cor habes, Deum times, tu ipse considera quæ uolo dicere. Pugnarunt quoque cum Moscho alij ante te Poloniæ nostræ Reges, sed post illorum pugnas pugnauimus, post tuas pugnas vicimus. Illi fecerunt, tu bellum sustulisti. Statim enim vt in Regem Poloniȩ à Senatorio, pariter & equestri ordine maiorum more in campis, longe lateque patentibus, sole isto, Vistulaque inspectante, inter equitum peditumque copias, inter hastas & gladios, inter clangores tubarum, tympanorumque sonitus, & tormentorum explosiones (quibus rebus Martij illi fortissimique equites, magis etiam incendebantur, vt Regem sibi Martium querendum eligendumque putarent) in hoc inquam tali fremitu, strepituque armorum, cum electus Rex esses, nullam tu quoque moram interponendam existimasti, quin eum honorem, quem tibi arma dederant, omnibus vicissim castris & armis conseruares. Quamobrem in aciem armatus, illico prodijsti, hostisq; tui animum, immanitate barbarum, varietate leuissimum, perfidia periculosissimum domuisti, & quod in patria nostra nullus à multis annis miles viderat, tu tergum illius non solum vidisti, sed etiam calcauisti: fortassis autem ideo superioribus aliquot annis tergum fugientis non vidimus, vt

tu

tu, Rex potentissime, in hoc tuo felicissimo tempore, cum bene parato nostrisque etiam armis instructo hoste non solum fortius pugnares, sed tanto etiam gloriosius vinceres, fœdamque illam barbarissimi Principis crudelitatem, imbutosque sanguine gladios vitæ libertatique ciuium tuorum imminentes, ab vniuersæ patriæ membris & visceribus auerteres. Nemo adhuc contra te in aciem prodijsse dicitur, qui non tuis laudibus & triumphis adderetur. Ter tuos milites in mediam pene Moschouiam immisisti, ter victores ex hostili terra reduxisti: & si quos paucos casus aliquis abstulit, plus ex illis gloriæ, quam sanguinis emanauit: hoc enim quoque ista tua fortitudine, ac vigilantia, qua cæteris omnibus emines, perfecisse te perhibent: vt milites tui tanquam si tu esses ita sint: nec eos vel metus belli stupefaciat, vel lassitudo exhauriat, vel hostium legiones terreãt, vel impedimenta viarum defatigent, vel cœli intemperies, vel hyemis asperitas, vel niuium altitudo, à susceptis consilijs deterreat. Acutis sunt auribus ad præcepta, promptis oculis ad signa, expeditis manibus ad opera. Dare vulnera paratissimi sunt, accipere uero tardissimi. irati pugnant, receptui signum, aut reuocationem a bello audire non queunt. Sperant semper optima, pati vel difficillima malunt, quàm cedere: nec potest vllius auctoritate tantus ille ardor extingui, longe vt eos rectius ἀθανάτους,
hoc

hoc est, immortales, quorum olim apud Persas decem millia fuisse legimus, quos vinci posse non putabant, si quis in te fastus esset, appellare posses. Quo factum etiam est, vt quot bella suscepisti; tot iam tuas victorias & triumphos numeremus: tantumque patriæ nostræ scuto tuo, quantum Duna, Vielica, vel Polota, alueo suo, quantum syluæ densitatè, quantum montes altitudine, præsidij attulisti: ita vt si amnes exaruissent si syluæ deflagrassent, si montes subsedissent, non naturæ præsidijs, sed virtute tua Lithuaniam tutam, munitamque haberemus.

Iam minæ sæui cecidere ferri,
Iam silet murmur graue classicorum,
Iam tacet stridor Litui strepentis,
Alta pax nostro reuocata Regno est.

Quod autem in summa laude ponendum est, cum alij victores captarum vrbium & prouinciarum aut prędas appetant, aut ruinas; tu in his tuis victorijs & triumphis sic te adhibes, vt seueritatē abditam, clementiam autē expositam habeas: neque adeo magnum existimes, ea quæ & naturam, & conditionem habent, vt vinci possint, vincere, verum in victoria animi impetum cohibere, iracundiam refrenare, captas vrbes, quas victoriæ conditione delere potuisti, clementiæ tuæ iudicio conseruare, viros virtute præstantes, non modo extollere iacentes, sed etiam libertate donare, ac beneficijs cumula-

mulare, hanc tu veram victoriam esse reputas; quod certe nihil aliud est, quam inuictum esse, quam ipsam victoriam vincere. Sic tuam virtutem hostes, misericordiam victi, fidem & prudẽtiam cæteri omnes perspexerunt. Ex quo illud etiam consecutum existimãt, vt armis tuis subactæ prouinciæ doleant, tardius se in tuam potestatem peruenisse: nil enim illis aliud præter inferendæ iniuriæ licentiam eripis. Rem nouam dico. In fœlicitatis parte ponunt, vinci: victoriam tuam vitam suam, salutem suam existimant: libenter in tuam potestatẽ veniunt, quẽ in sua potestate esse, nec vllo iracundiæ impetu de statu mentis dimoueri consueuisse cognouerunt: & hoc tuum, tam iustum, tam temperans, tam moderatum imperium, patrocinium potius vitæ fortunarumque suarum, quam imperium esse existimant. E quidem est quod sibi hostis tuus gratuletur, se in tam pium, Christianum, Catholicũ, & Orthodoxũ ἀνταγονίστην incidisse. Nam si pari perfidia cupiditate, immanitate, in subiectas illi prouincias impressionẽ fecisses, quam tuam Lithuaniam annis superioribus aggressus ipse est, ne sperare quidem illi principatum, sed ne vitam quidẽ optare licuisset. Verum tu in Ecclesiæ Catholicæ schola didicisti, quod Regem non deceat esse diuitem aliorum iacturis, locupletem aliorum calamitatibus, immortalem inimicorum funeribus, nec esse quicquam Christiano Principe indignius

gnius lassa crudelitate. Incendij enim ac ruinæ simile est, multos sine causa furenter occidere, vicissim autem nullum ornamentum Principis fastigio dignius esse posse, quam illam coronã, ob defensam patriam ciuesque seruatos: Nisi quod ego hoc tempore de tuis laudibus, apud te Regem Homerico ingenio & carmine dignissimum, non possum omnia, quæ mihi in mẽtem veniunt, singillatim recensere, quæ tui illi Patricij, Socolouij, Varseuicij orationibus & Panegyricis suis λόγις plane βυσσίνις, quales in Regibus Parysatis illa requirebat, ita persecuti sunt, vt non dubitem ipsum te qui fecisti rerum abs te gestarum magnitudinem admiratũ esse cum legeres: quæ & si magnæ sunt maiores tamen adhuc à tua sapientia, iustitia, fortitudine, animique moderatione expectamus; nos præsertim qui vocamur ecclesiastici, quibus ad bene de tota re Ecclesiastica sperandum quasi signum quoddam sustulisti, pristinæque vitæ & pacis, & tranquillitatis vsum & consuetudinem, hæreticorum audacia pene interclusam, aperuisti, quo nomine quàm sumus magis obstricti, atque obligati esse tibi non possumus: atque vtinam maiora possemus, quando quidem maiora nos abs te accepturos esse confidimus. Maiora enim, ait ille, populus semper à summo exigit. Verum interim Deum Patrem misericordiarum, & totius consolationis deprecari nunquam intermittemus, quod olim Christia-

stianos, pro suis Imperatoribus precatos esse legimus, vt tibi det Dominus Imperiũ securũ, domũ tutam, exercitus fortes, senatũ fidelem, populum probum, Regnum quietum, vitam prolixam (te enim esse prolixissime regnaturũ, ipsa quoque tui corporis forma & statura ad eam quam geris dignitatem accommodata designat) idque nos à Diuina clementia tanto facilius impetraturos esse confidimus, quanto maiore conatu in id studium & antea semper & nunc in Liuonia tua incũbis, vt in omnibus prouincijs imperio tuo subiectis sit omnium credentium cor vnum & anima vna ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργον, ait Constantinus: τῇ πίστῃ τῶν προτέρων συζῆν. Et Leo ad Theodosium: Defendite, ait, inconcussum Ecclesiæ statum, vt & vestrum Christi dextera defendatur imperium, scientes imperij vestri viribus profuturum, quicquid Catholicæ libertati benigna fuerit dispositione collatum. Equidem, Serenissime Rex, in omnibus istis hæreticorum studijs & cõtentionibus nil aliud, quam aut legum aut hominum interitus ostenditur. Non potest enim fieri, vt falsitas non persequatur veritatem: cum enim hæretici sint vniuersis erroribus amici, non possunt nisi solis esse nõ errantibus inimici. Quamobrem optimum est notis vitijs impedimenta prospicere, quod te & studiose & libenter facere lætamur & gaudemus, ne postea sero medicina paretur. Hæresis enim ruinis simillima

ma esse perhibetur, quæ super id quod mole sua oppressere franguntur. Sed oppressionem Deus omnipotens à patriæ nostræ capite auertet, te præsertim Rege vigilantissimo ad illius gubernationem assidente; quo non modo victore, sed etiam viuo, & florens, & incolumis patria nostra esse posset. Pestis autem istius exitium quæ multorum animos inquinauit, cum à Dei misericordia, qui neminem vult perire, sed vult omnes ad agnitionem veritatis peruenire, tum etiam ab ijs quæ in te elucescũt, quæque in Regno tuo comparas, pietatis præsidijs expectamus & speramus. In te enim vnum atque tuum nomen tota se apud nos conuertit religio Christiana.

Te permisto
Matrona minor maiorque choro
Colit & reserat venienti tibi,
Templa sacerdos, tibi nexilibus
Turba coronis redimita venit,
Tibi grandæui lassique senes.
Compote voto reddunt grates.
Libantque manu vina trementi.

Qua de re ego nolo hoc tempore pluribus, ne panegyricum in Epistolam includere velle videar: quin & ipsius Epistolæ longitudinem excusare deberem: nisi eam vererer excusando magis etiam facere prolixiorem: cum præsertim ad eos, quos tibi offero libros, pro tua in Rempub. Christianam pietate, & in Ho-

sij memoriam singulari beneuolentia, te & animum & oculos conuertisse videre mihi videor. Quod superest me & hos posthumos Hosij Cardinalis fœtus Regiæ tuę clementiæ & protectioni qua summa possum animi mei submissione etiam atque etiam diligenter ac studiose commendo: & licet indignus, tamen sacerdos cum ad altare Domini stetero precari nunquã intermittam: vt tu Domine mi Rex sapiens sis sicut habet sapientiam Angelus Dei, & intelligas omnia super terram, vtque tibi Dominus det ætatem quam mereris, & conseruet animũ quem dedit, Amen. Datum Romæ. Calendis Septembr. Anno Domini Millesimo Quingentesimo, Octuagesimo secundo,

REVERENDO ET RELIGIOSO Patri F. Rogerio Gyrard, in Theologia Magistro, Priori apud S. Augustinum Parisijs, S. P.



GO vero nunquam dubitaui fore, vt ea quæ coram in vrbe tecum egeram, & animo & voluntate summa cum redires in Galliam exequerere: sed magis etiam auxit meam de te totoq; isto negotio expectationem hominis tibi amicissimi P. Ioannis Bapt. Fereneti oratio, ex qua mirificam vim tui desiderij liquidissimè perspexi: atque eo etiam tibi nomine & ago & habeo gratias: nec equidem adhuc moleste fero quod aliter quàm optabamus consilia nostra ceciderint. Facile enim vt puto intermissionē operæ nostro adhuc studio diligentiaque præstabimus. Quod verò laudatissimi Cardinalis Hosij memoriam omni tibi officio atque pietate prosequendam existimas, facis tu quidem id, quod faciunt, qui se Catholicos & Orthodoxos esse meminerunt, vt acerrimum Orthodoxæ fidei propugnatorem: vel vt Gregorij xiij. Pont. Max. pleno maturitatis & iudicij testimonio vtar, Columnam illam Ecclesiæ, or-

namentum Collegij Cardinalium, Curiæ Romanæ splendorem, isto tuo cultu & veneratione complectare. Sed ego tamen hoc tibi nomine volo debere plurimum, atque, vt te in suscepta propositaque sententia magis etiam atque magis confirmem, mitto ad te earum rerũ commentariolum, quæ in illius viri ad beatorum sedes migratione acciderunt: ex cuius lectione perspicies, quàm consentientes exitus anteactæ vitæ studijs, verè Abrahamicus ille senex, & quasi alter Isidorus Pelosiota. περὶ τε λογικῶς. καὶ λέγει πακτικῶς acceperit, quamque etiam fuerit sanctissimo & doctissimo Patri & præceptori vestro D. Augustino deditus, in cuius precibus tantum opis, tantum ad salutẽ consequendam præsidij collocabat. Benedictus Deus, qui nobis in hac prope deposita Reip. Christianæ parte in his communibus miserijs, & ærumnis, videre tamen dederit superiorum sæculorum fœlicitatem, & opera sanctorum, quæ summa cum admiratione in ecclesiasticis Annalibus legebamus, his nostris oculis aspicere, his manibus contrectare concesserit. Magnis enim profecto (non verebor enim veram & Hosio meque dignam vocem edere) Magnus ille Hosius.

Religionis Athlas, vox, & manus altera Pauli
Mors Lutheri, cœli ianitor, Orbis amor.

Religionis Christianæ luctibus atq; funeribus subuenisse existimatur. Sed me reprimo, ne tu

mihi

mihi illud ῥόδον παρελθῶν. μηκέτι ζητεῖ πάλιν. Sit nomen Domini ſempiternis ſæculorum ætatibus benedictum. Ei commentariolo Odam lugubrem & epiſtolam plenam querimoniarũ doloris noſtri indicem adiunxi, vt te quoque ad ſocietatem moleſtiæ meæ adiungam, mihique nonnullam leuationem adferam. Omnis enim acerbitas tanto eſſe tolerabilior conſueuit, quanto inter plures diuiditur, ſicut onus quod multorum humeris & viribus ſuſtinetur. Longior eſſe nolo. Huic enim qui me cruciat dolori prolexi magis gemitus & fletus quam prolixæ Epiſtolę debentur. Bene vale, & nos quod facis, ama, nec amare deſine. Datum Romæ. 3. Februarij Anno M. D. LXXXII.

Stanislaus Reſcius S. Pœniten. ſigillator

IOANNI CANONICO
Martini Cromeri Epiſcopi Varm.
Cancellario Stan. Reſcius
S.Pęniten. ſigillator.
S. P.





Vòd à morte ſanctiſſimi & omnium ſæculorum memoria & prædicatione digniſſimi Cardinalis Hoſij domini & patroni mei beneficentiſſimi, nullas ad te litteras dederim, in cauſa fuit infinita quædam vis lachrymarum & dolorũ, quæ me omnibus acerbitatibus interclusum tenuerunt, ac omni facultate dicendi ſcribendique ſpoliarunt, ſtatumque illum noſtrum & æquabilem vitæ rationumque curſum conturbauerunt atque confecerunt. Etſi enim in amiſſionem tam ſalutaris viri, non ego ſolus, ſed orbis Chriſtianus vniuerſus incredibilem iacturã fecerit: me tamen vnum hæc ruina oppreſſiſſe præcipue videtur, qui à teneris annis in illius pene ſinu, & gremio educatus, eiuſque exemplis & inſtitutis inſtructus, ac incredibilibus beneficijs cumulatus, in tantam ad extremum orbitatem incidi, omnibuſque vitæ præſidijs & iucunditatibus ita ſubito deſpoliatus ſum, vt

vitam quoque ipſam non ob aliud mihi relictã exiſtimem, quàm vt præbeat ſenſum materiã-que malis. Quomodo enim quæſo te hæc mi-hi vita vitalis aut iucunda eſſe poteſt, cùm ei vitam ademptam videam, qui multis vitam da re ſolebat: ei vitam ademptam videam, qui multos à morte ac à peſte ad vitam ſalutemq; ſempiternam reuocabat: ei vitam ademptam videam, qui ſolus propemodum rectè vita vti ſciebat? Quibus, inquam, oculis hanc tantam Eccleſiæ ſolitudinem, tam excellenti (ſicut de ſuo Baſilio ait Theologus) gloria detonſæ ac ſpoliatæ atque huiuſmodi corona excuſſæ aſpi ciemus? Bellum Hæreticorum imminet, & qui ducem ſe præbeat nobis non eſt. Laborat infir-mitatibus Eccleſia, & medicum non inueni-mus. Tempus conſilij eſt, & conſilium dare ſo-litus abijt. Helias aſſumptus eſt, & Hæliſeus non eſt relictus. O calamitatem intolerabilem cuius exitus non apparet. O noctem acerbiſſi-mam, quæ lucis ortum non expectat: o infœli-ces tenebras quæ ſolem non ſperant. Amiſit Ec cleſia dei confeſſorem, Religio propugnato-rem, hæreſis euerſorem, patria ſenatorem, anti-quitas conſeruatorem, nouitas depulſorem, po pulus doctorem, docti præceptorem, pietas tu torem, impietas perſequutorem, Paſtores exẽ-plum, impoſtores aduerſarium, veritas domi-cilium, falſitas inimicum, orbis vniuerſus in tã-tis tenebris lumen clariſſimum amiſit. Et inte-

rea, ſicut ait ille, fax nuſquã. Chriſtus dormit? Miſereor tui ò Dei Eccleſia, ac tui quoque patria mea dulciſſima, quod in hoc valde neceſſario tempore, in his communibus miſerijs & ærumnis, in hac tanta rerum omnium conuerſione, in hoc religionis naufragio, in iſtis Regnorum & Rerumpub. excidijs, tam certum calamitatum omnium perfugium, rerum agendarum regulam, nauarchum peritiſſimum, colũnam ſolidiſſimam, virtutum omnium domicilium, ex iſtius vitæ ſtatione, & ex omni hominũ conſuetudine emiſeris. At tibi viciſſim ò magne homo dei & fidelis ſerue, & myſteriorum diſpenſator, & arca virtutibus abundans (ignoſce mihi diuina anima & nunc & antea maximè veneranda: facit enim me in tuis laudibus longiorem non loquacitas mea, ſed merita tua & meum incredibile in te ſtudium)

Non ego adulatũ (crede mihi) venio ne collige bilẽ
Sit mihi lætitiam fas aperire meam:
Tibi inquam, o vir Dei.
Clare fide, præclare actu, clariſsime fructu
Qui meritis titulum nominis æqui paras,

quo verborum honore Regni cœleſtis poſſeſſionem & coronas, & triumphos gratulabor? Si mihi linguæ centum & ora centum eſſent, nec tuam fœlicitatem, nec illius patriæ dignitatem vllius orationis vbertate aſſequi atque explicare poſſem. Lætantur proculdubio ipſe quoque beatorum animæ, quod tu nouus Chriſti confeſſor

fessor, confessorum in cœlis numerum auxeris. Lætantur ad se moribus consimilem venisse, athletam athletæ, coronatum coronati, animo castum corde puri, præconem sermonis, ministri sermonis. Nos autem quod attinet, si ad vota singulorum respicimus, quandocumq. tandem obijsses, parum vixisses, si ad res gestas satis diu vixisti, si ad memoriam operum, semper viues. Is enim erat innocentissimæ vitæ tuæ splendor, ea verborum & eruditionis vbertas, ea vultus orisque dignitas, ea morum suauitas, tantum præterea iuuandi proximi desiderium, tam ardens de Varmien. Ecclesiæ, atque adeo omnium ecclesiarum salute, deque Elbingensium cõuersione sine vlla vel temporis vel contentionis remissione sollicitudo, vt nunquã nõ esset mors tua Christianæ Reip. immatura futura. Sed parce tu quoque mihi, frater charissime, quòd in istarum rerum commemoratione, & libenter & studiose hæreo: adhuc enim cum Hosio viuere, cum illo mihi loqui videor. Præterea vero Hosium laudans, virtutẽ laudo, virtutẽ laudãs, Deum laudo. Interest omnium qui virtutem, qui pietatem colunt, scire Hosium quis fuerit: erat enim maximum & singulare viuendi moriendique exemplum nobis propositum: ita vt nisi pulcherrimum istud τοῦ ὁσίου cognomen à maioribus suis hæreditarium accepisset, id ipse sibi posterisque suis virtutis suæ præstantia peperisset. Bonus

inquam

inquam,& perfectus erat doctor Hosius, faciebat quod docebat, ac omnia vitæ suæ tempora & momenta tanta cum innocentiæ laude transegerat, nullus vt vnquam eum diem viderit, quo cuiusque interesset Hosium mori. Tanta præterea contentione atque doctrina, verborumque & sententiarum vbertate fidem Ecclesiæ Dei cum scriptis in omnes orbis Christ. partes feruentissimis illis & admirabilibus Epistolis, tũ etiã libris editis propagauit, vt quod olim de Gregorio Taumaturgo, hoc de Hosij quoque nostri lucubrationibus rectè dici posse videatur, quod ea ipsa Dei mater virgo scribenti dictitauerit: nec alia post illum scribendi contra hæreses materia scriptoribus vllis relicta esse videatur. Quo factum est vt Hosius Orbi Christiano valde magnus esset, Hosij gloriæ orbis angustus videatur. Cæterorum enim mortes, priuatos, hæc vna communem quendam luctum & dolorem in animis piorum & intelligentium hominum excitauit. Exquorum ego libris & litteris, 200. fere testimonia magna cum animi mei voluptate collegi, quibus illi, quasi conspiratione facta, totius laudis & gloriæ principatum, cum in cultu pietatis, tum in doctrinę & eruditionis excellẽtia attribuũt. Alij columnam Ecclesiæ vocant, alij ornamentum Collegij Cardinaliũ. Alij splendorẽ Curiæ Romanæ, alij Phænicem Cardinalium, alij Polonicum Patriarcham, alij senem vere A-

brahamicum, alij malleum hæreticorum, alij nostri temporis Augustinum, alij alterum Poloniæ Stanislaum, nouum Bessarionem, Melchisedechicum sacerdotem, nunquam satis laudatum Ecclesiæ defensorem, rectæ fidei custodem vigilantissimum: Orbis miraculum, patrē patratum, Romani senatus ornamentum, Apostolicæ sedis propugnaculum, Christi fortissimum athletam, formidabilem hæreticorum aduersarium, senem suauiloquentem, alterum Numam, micans Latij lumen. Alij syncerę pietatis magistrum, Dei interpretem, alteram Pauli manum, alij alijs laudibus celebrant, & vsque in sydera tollunt. Omnes vno ore sanctissimum, pientissimum, sapientissimum, doctissimum, integerrimum, antiquæ pietatis imaginem appellant, easque etiam laudes cantare celebrareque adhuc non dubitant & docti in bibliothecis, & indocti in circulis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris, & Prædicatores in cathedris, & in versibus Poetæ, & in mōtibus Eremitæ, & in orbe terrarum genus Christianorum. Habebat enim in se reuerà Abrahamicus ille senex quo totius orbis oculos in sui admirationem conuerteret, habebat Petri fidē Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini doctrinam, Basilij grauitatem, Athanasij zelum, Chrysostomi eloquentiam, Ambrosii libertatem, Gregorij vigilantiam; In seipsum Hieronymi seueritatem exercebat. In conuer-

satione

ſatione & conſuetudine hominum Meletium, in contemptu vitæ martyrijque deſiderio Cyprianum referebat, (non enim vereor ne ſanctiſſimi illi viri inuideant, ſi ijſdem quibus ipſi abundabant laudibus, hic illorum diſcipulus & imitator honoretur) didicit quod docuerũt, fecit quod iuſſerunt, ſequutus eſt quo præceſſerunt & dum illos in omnibus vitæ ſtudijs imitatur, ipſe quoque poſteris ſuis ſe præbuit imitandum. Factus enim ad extremum erat velut arca quædam virtutibus abundans, ex qua in orbem vniuerſum totius pietatis exempla emanabant. Fuit uelut quædam uox clamantis in orbe Chriſtiano: Non eſt fides niſi una, & quicquid extra unam fidem eſt, non fides, ſed perfidia eſt. Fuit uelut manus, cathedram unitatis in qua Dominus poſuit doctrinam ueritatis oſtẽdens: Fuit uelut tuba uaſtum in auribus omnium clangorem fundens, quod quiſquis cum Romana Eccleſia in fidei doctrina non concordat, Chriſtianus non eſt: Niſi quòd in omnibus Hoſij laudibus percenſendis, non me ſed Hoſio laudatore opus eſſet. Hoc autem excepto, quicunque Hoſium laudare uoluerit, aut mecum ſit, aut me ſequatur oportet. Neque mihi tamen in hoc officij prædicationiſque genere pertimeſcendum eſſe uideo, ne dulcedine diuturnæ, quæ mihi cum Hoſio interceſſit, conſuetudinis delinitus, libentius hæc omnia prædicare de illo uidear, quàm uerius, cùm ita communis,

munis,ita conſtans , ita perpetua , ſit omnium de illius pietate opinio , vt etſi præcipuum eſſe meum erga illum ſtudium debeat, pene tamen æqualiter cum cæteris verſari videatur. Hiſque ego interim rebus & cogitationibus in hac orbitate mea paſcor , his delector , his perfruor, quòd ampliſſimi quique atque optimi viri de Hoſio noſtro opinantur, non ſecus ac de homine è cœlo in terram ad ſalutem Reip. Chriſtianæ delapſo, quòd nemo bonus, nemo Chriſtianus eſt, qui modo ſe Catholicum eſſe meminerit, qui Hoſio totius pietatis teſtimonium & eruditionis laudem non admurmuratione tacita, ſed voce & clamore & litteris non perhibeat. Quæ ego omnia, & ſi de Hoſio meo ſemper expectaui, hæc optaui, hęc ſperaui, hęc prędicatus ſum, hæc euentura prædixi, cum illam vitæ innocentiam , illam morum ſuauitatem & elegantiam per 20. ferè continuos annos , non ſolum ad exemplum patriæ noſtræ totiuſque ordinis Eccleſiaſtici, ſed etiam memoriam ſempiterni temporis, huic noſtro ſeculo donatam aſpicerem , plura tamen quàm ſperabam acciderunt: Sed iterum Veniã abs te peto: φιλεταῖος γὰρ συμφορά, Me vero hoc tẽpore loquaciorẽ facit amor. Loquacitas autem (ſicut ait ille) in ędificationem nulla turpis, ſi quàndo turpis. Non eſt, inquam, reprchẽdenda loquacitas, cum nimio amore pietatis & nimio odio impietatis. plura quàm res poſtulare videtur, aliquando

loqui-

loquimur. Sed nec quenquam tali futurum esse ingenio puto, vt omnes Hosij nostri laudes ita possit mãdare litteris, vt ea quæ diximus facta non ficta videantur esse. Me quòd attinet, etsi mihi secretarij & familiaris nomen mors illius abstulit, cultum tamen erga illum meum & obseruantiam & diuturnæ consuetudinis ac beneuolentiæ memoriam non ademit. Quominus etiam tantam illam pietatem, tam incredibilem sapientiam ac pene diuinam eruditionem, tam inusitatam clementiam, tam feruentem Charitatem, tam raram humilitatem, tantum denique in maxima potestate rerum omnium modum, tacitus apud te præterire potui. Ad extremum autem te etiam atque etiam peto & quæso, posteaquàm me calamitatis eius acerbitate ita fractum & deiectum esse vides vt non solum animi, sed & vultus & frontis, & oculorum hilaritatem in sempiternum tempus amiserim, ne me vnquam consolationibus tuis suauissimis, orationumq. presidijs destitutum derelinquas, sed has vitæ nostræ tenebras vel potius istum nostrum carcerem, imo mortem, imo funus & cineres, cùm ad altare domini steteris in sacrificijs tuis illius bonitati cõmendes

Neue, roga quid agam, si persequar omnia flebis
Summa satis nostri sit tibi nota mali:

Nũc enim omnia sole illo meo, illo inquã sole meo Hosio vel potius patrię nostrę totiusq; orbis Christiani extincto, quasi conspiratione facta

ćta totum planè vitæ rationumque mearum cursum ita euerterunt, vt si mecum hoc tempore esses, non eum profectò videres quem reliqueras, non eum quem noras, quem flens flentem via Flaminia prosequentem, ad pontem Miluium proficiscens dimiseras, ne vestigium quidem eius nec simulachrum, sed quandam spirantis mortui effigiem videres. Etsi enim nihil magis in hoc meo calamitoso tempore curo, quàm vt ne curem, neue doloris magnitudine succumbam, nec esse quicquam solitudine amicius statuam, omnesque vmbras & recessus appetam, in quibus mihi omnis fere semper sermo est cum sacris litteris, hæc tamen omnia quocunq; me verto, dolor ex absentia Cardinalis Hosij acceptus interpellat, eum porrò fletus sequitur, cui repugno quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Quo magis me quem tuis orationibus subleuandum suscipias dignũ esse putabis. Ego verò idem vicissim tibi impendam apud venerandos sanctorum Apostolorum cineres charitatis officium. Quæ geruntur in vrbe ex D. Stanislao Hosio, eius de quo agimus Cardinalis nepote cognosces, cuius rationes tibi cæterisque confratribus nostris paulo profectò diligentius commendarem, nisi vos sponte vestra ad augendam & ornandam illius familiæ dignitatem incitatos esse mihi persuaderem, quæ nobis tam salutarem Ecclesiæ Dei virum, Episcopum plane Ecclesię natum, memorem

morem ſui nominis, maiorum ſuorum imitatorem tam præclaris ad imitandum exemplis abundantem, vel vt Theologi de Baſilio verbo vtar διαβεβηκότων, velut ſydus quoddam ad illuminandos cæteros in hac prope depoſita Reip. Chriſtianæ parte produxit. R. D. Martino Cromero, Epiſcopo noſtro Varmien. magno Magni Hoſij ſucceſſori (Baſilium & Gregoriũ diceres) ſtudia officiaque mea denuntiabis: quem ego virum, propterea nobis relictum puto, ne cum vno Hoſio, omnis in patria noſtra zelus, omnis pietas, & eruditio, extincta ſepultaq. videantur. Deum precor, vt quam diutiſſime Eccleſię Dei commodet. Bene vale & nos quod facis, ama, nec amare deſine. Romę Idib. Decemb. 1579.

DE OBITV MAGNI STANISLAI HOSII CARDINALIS.

EIVSDEM

Ode Lvgvbris.

ECCLESIASTICI. 44.

Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia sua, à sæculo.



VIS meo fundet capiti liquorem?
Quis dabit fontem lachrymis scatentem.
Flere dum mortē paro luctuosam,
Præsulis Hosi?

Tigris emittat gemitu strepentes
Vortices, Phison riget ore lato
Mixtus Euphrati, tribus atque fletus
Vnda sit vnus.

His Geon iunctus lachrymosa pandat
Ora, diffusis super arua riuis,
Irriget latos lachrymando campos,
Vistula præceps.

Axis à summo bipatentis Orbe
Depluat, cœlum grauidis opertum
Nubibus, cœlum pluat è recenti
Flumina rore.

Quid nites Titan? tenebras Polonis
Hæc dies adfert, Hosium iacentem

Dum vides, albas piceo quadrigas
Obtege velo.
Nube sub tetra lateat bicornis
Luna, funebres cieant querelas
Astra, deplorent miserata mortem
Præsulis almi.
Præferant tristes elementa luctus,
Nil sit in cælo vel in orbe lætum,
Gaudium mœret, subit ecce virtus,
Iura sepulchri.
Mors Stanislaum fera Varmiensem
Præsulem, terræ columen Polonæ,
Abstulit nobis, rubei nitentem
Laude galeri.
Sed notis tantis quid erat necesse?
Vt semel dicas Hosium, iuuentus
Mille per annos oritura, notas
Arriget aures.
Surgit è matris gremio futurus
Fulgidum vitæ speculum, futurus
Forma virtutum, celebris futurus
Aetheris astrum.
Surgit vt candens rosa rore tacta.
Surgit vt spargens folijs odorem
Lilium, surgit velut excitatus
Rore hyacinthus.
Matris ex aluo veniendo, semper
Purior vitro, niue vixit alba
Albior, vixit magis & columba
Simplice simplex.
Hic iugo Christi puerile collum

Sub-

Subdit, & stiuam capiens aratri,
Vt decet, sulcat bonitatis aruum
Vomere patis.
Hic nouum seruans hominem, vetustum
Pergit antiquo spoliare Adamo,
Sic nouo tectus sacrosancta Iesu
Membra sub intrat.
Cordis ex agro tribulos reuelit,
Semen irrorat lachrymis, in alta
Mente iactatum, geminas daturum
Tempore fruges.
Spiritu carnem domitat petulcam,
Ocium pellit gelidum labore
Feruido, somno vigili profundum
Pellit ocello.
Totus incumbit precibus beata
Regna suspirans, fluidis in horis
Pectus irrorat lachrymis, iuuentæ
Vincit amores.
Non minus cœlum precibus fatigat
Quàm pio cultu lachrymis nigrantem
Abluit noctem, Sathanam repellit
Dulcibus odis.
Spe polo pendet, nihil est in Orbe
Quod velit, census super astra seruans:
Et Liam sponsus simul & Rachelem
Castus amauit.
Ventre ieiuno famis atra diræ
Bella deuincit, superans anhelum
Mox sitim dulcis meditando IESV
Fel sub aceto.

Rimulam transit velut anguis arctam,
Sub manu Saræ subigit superbam
Agar, ad cursus agitat asellum
Verbere inertem.
Diua scrutatus monimenta Patrum
Sacra degustat rudimenta IESV
Deditus Marthæ, pia Magdalenæ
Suscipit acta.
Ille doctores celebrandus inter,
Igne diuini rutilans amoris
Pectus errantum face veritatis
Irradiauit.
Hostis effectus Sathanæ, repletur
Spiritu Christi, capit arma, cæcas
Detegit technas, precibus maligni
Proterit artes.
Omnibus charus superumque Regi,
Nactus est illo tribuente dotes,
Quas ministrator Domini fidelis
Sparsit in omnes.
O quot à falsis fidei magistris
Saucios, arte vera medicauit?
O quot intactos per amœna IESV
Prata cibauit?
Hic oues pastor vigil è periclis
Liberat multas, licet ore sicco
Acer, huc illuc lupus vsque circum
Cursat ouile.
Laurea fulsit gemina pudoris,
Et bonum famæ retinens odorem,
Carnis & seruans animæ decoram
Virgi-

Virginitatem.
Martyr est, carnem cruciando: virgo
Est, habens pulchræ bona castitatis:
Doctor exemplis: calamo, loquela,
Instruit omnes.
Ergo iam lassum latus hic reponit,
Hæc quies illi placuit laborum:
Pulchrior nullus locus est in Orbe
Nobiliorque.
Magne (te nomen decet hoc) Hosi mi.
Magne, spe præstans, fide, amore Christi,
Magne doctrina, minimi clientis
Suscipe dona.
Iamne abis? & nos properans relinquis,
Quos tamen sola regione linquis
Semper adnixa sine fine tecum
Mente futuros.
Iamne abis? fœlix tamen & recedens
Semper huc ad nos animo recurre,
Esto nobiscum licet ad paternam
Veneris vrbem.
En tuam, Præsul bone, charitatem,
Orbis aut alter, neque mors reuellet.
Corporis vita moriente, vita
Viuet amoris.
Vnde complexi sine fine charum
Pectus hæremus laqueo fideli,
Quaque contendes comites feremur
Mente sequaci.
Quando mortalis fueras, iuuasti
Nos precum semper studio tuarum:
Nunc

Nunc poli ciuis tuare gentem,
Oro Polonam.
Patriæ magnus pater es ruentis,
Tu ratem portu laceram reponis,
Hinc licet surgat Boreas fremensque
Hinc ruat Eurus.
Huius imprimis tibi cura Regni
Adsit, & clemens patriæ faueto.
Sit fames, pestisque procul. Quiescant
Aspera bella.
Nonne tu nobis monumenta vitæ,
Vita dum terris tua luxit alta
Voce prompsisti? ò gregis alme custos
O bone pastor.
Gaudeo mundi iubar vniuersi,
Quod meis vidi toties diebus,
Illud excellens decus omne dicam
Vrbis an Orbis?
Sint Deo grates, quod amore tanto
Nos tibi astrinxit per operta vincla;
Vis vt internam valeat catenam
Rumpere nulla.
Pro datis magnis tibi, diue pastor,
Seruitus quænam poterit rependi?
Nulla compensant precium salutis,
Vota precantum.
Namque te celsum meritis in altum
Culmen imponit preciosa virtus
Inq; viuentum super vrbe magnis
Turribus addit.
In diem atque horam sine te misellus

N5

Nequior fio, vitiorum in omnes
Pronior sordes, facilem ruenti
Porrige dextram.
Pande, si Resci est tibi vita curæ,
Vt fuit quondam, rutili coruscum
Ætheris callem, sacra pande summi
Ostia regni.
Auribus gratis, pater alme, tandem
Quas tibi laudes cecini libenter
Sume, nec spernas modulos fideli
Pectore promptos.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parui facit, & loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Quamlibet infans.
Scis Deum nunquam potuisse flecti
Voce peccantum, fer opem roganti
Diue defensor, pia vota IESVS
Ocius explet.
Vnicum Gentis decus o Polonæ,
Hæresum victor venerande, salue:
Sis salus nobis miseris, tuamque
Respice gentem.
Impetra pacem populi, salutem
Corporum, vires animæ, benignum
Aerem, gratam pluuiam, quietæ
Commoda vitæ.

Lex Romanorum.

Honoratorũ virorũ laudes in cõcione memorantor, easq; ad cantus, & ad tibicinem prosequantor.

EPITAPHIVM EIVSDEM

Cardinalis in eius Titulari Eccle-
ſia Beatæ Mariæ Tranſtibe-
rim, in marmore nigro
litteris aureis in
ſculptum.

D O M

STANISLAO. HOSIO. POLONO. S. R. E. PRESB. CARD. VARMIENSIS EP. MAIORI. POENIT. VITÆ. SANCTITATE, ERVDITIONIS. ET. ELOQVENTIAE. GLORIA. CELEBER.
CATHOLICAE. FIDEI. ACERR. PROPVGNATORI. QVI. CVM. ANTIQVAE. PROBITATIS ET. EPIS. VIGILANTIAE. PRAESTANTIAM. IN. HVMILITATE. CARITATE. CASTITATE. BENEFICENTIA EXPRESSISSET. HERET. SECTAS SCRIPTIS. ET. CONSILIIS. SAPIENTISS. FERVENTER. OPPVGNASSET. MVLTOS. AB. ERRORIB. REVOCASSET GRAVISSQ. LEGATIONIB. PRO. PACE, ECCL. DEI. CVM. APVD. CAROL. V. ET. FERD. CAESS. TVM. PRAECIPVE. IN S. CONC. TRID. PII. IV. PONT. NOMINE FELICISS. PERFVNCTVS. CRIST. REIPVB. PLVRIMVM. PROFVISSET OMNIVM. VIRTVTVM. LAVDIB. ET EXEMPLIS. AD. IMITANDVM. ABVNDANS. OBDORMIVIT. IN. DOMINO NONIS. AVG. ANNO SALVTIS M. D. LXXIX. AETATIS. SVAE. LXXVI.

STANISLAVS. PATRVO. ET. STANRESCIVS. PATRONO. BENEFICENTISS. EXECVT. TEST. POSS.



